S. Optati Milevitani libri VII (Latin)

Optatus of Milevis (fl. c. AD 370)

SermonIndex.net / Church Fathers

Contents

Liber Primus **1**

Liber Secundus **12**

Liber Tertius **25**

Liber Qvartus **38**

Liber Qvintus **44**

Liber Sextus **54**

Liber Septimus **60**

Liber Primus

Cunctos nos christianos. carissimi fratres, omnipotenti deo fides una commendat, cuius fidei pars est credere filium dei dominum iudicem saeculi esse uenturum. eum qui iampridem uenerit et secundum hominem suum per Mariam uirginem natus sit, passus et mortuus et sepultus resurreierit; et antequam in caelum ascenderet, unde descenderat, christianis nobis omnibus storiam per apostolos pacem dereliquit. quam ne uideretur solis apostolis dimisisse, ideo ait: quod uni ex uobis dico, omnibus dico. deinde ait: pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. igitur pax christianis omnibus data est, quam rem dei esse constat, dum dicit: meam; cum autem dicit: do uobis, non solum suam uoluit esse sed et uniuersorum in se credentium.

Quae pax si, ut data erat, sic integra inuiolataque mansisset nec ab auctoribus scismatis turbaretur, inter nos et fratres nostros hodie non esset ulla dissensio, nec illi inconsolabiles deo lacrimas facerent, quod Esaias propheta testatur, nec falsorum uatum nomen et actus incurrerent nec ruinosum ac dealbatum extruerent parietem nec minus astutas sed tantum simplices euerterent mentes nec male inponendo omnibus capitibus manum euersionis uelamenta obtenderent nec maledicerent deo nec rebaptizarent fideles nec nos euersas aut occisas innocentium animas doleremus, quas prius doluit deus per Ezechielem prophetam dicens: uae facientibus uelamen super omne caput et super omnem aetatem ad euertendas animas. animae euersae sunt populi mei et maledicebant mihi it populo meo, ut occiderent animas, quas non oportuit mori, dum adnuntiant populo meo uanas seductiones. et tamen admissa sunt haec ab his, qui nostri sunt fratres.

Sed ne quis dicat inconsiderate me eos fratres appellare, qui tales sunt, ab Esaiae prophetae uocibus [increpati exorbitare non possumus. quamuis et illi non negent et omnibus notum sit, quod nos odio habeant et execrentur et nolint se dici fratres nostros, tamen nos recedere a timore dei non possumus, quos hortatur spiritus sanctus per Esaiam prophetam dicens: uos qui timetis uerbum domini, audite uerbum domini: hi qui uos odio habent et execrantur et nolunt se dici fratres uestros, uos tamen dicite eis: fratres nostri estis\'. sunt igitur sine dubio fratres, quamuis non boni. quare nemo miretur eos me appellare fratres, qui non possunt non esse fratres. est quidem nobis et illis spiritalis una natiuitas, sed diuersi sunt actus. nam et Cham, qui patris sui risit inpie nuditatem, frater innocentium fuit et pro merito suo iugum seruitutis incurrit, ut esset fratribus frater addictus. ergo hoc nomen

fraternitatis nec interueniente peccato deponitur, sed de istorum fratrum delictis dicam alio loco, qui sedentes aduersus nos detrahunt et contra nos scandala ponunt et cum illo fure concurrunt, qui deo furtum facit, et cum moechis, id est cum haereticis, partem suam ponunt et peccata sua laudant et conuicia contra nos catholicos meditantur.

Omnes quidem per singula loca maledicis uocibus perstrepunt, [quibus ad aliqua de occasione respondeam]; sed unum quidem uix inuenimus, cum quo per litteras uel hoc modo loquamur, Parmenianum scilicet fratrem nostrum. si tamen se a nobis uel hoc nomine nuncupari permittit. et quia collegium episcopale nolunt nobiscum habere commune. non sint collegae, si nolunt; tamen, ut supra diximus, fratres sunt. frater meus igitur Parmenianus, ne uentose ac nude ut ceteri loqueretur, quicquid sentire potuit, non solum dixit sed etiam in scriptura digessit. cuius dictis cum respondere ueritate cogente conpellimur, erit inter nos absentes quoquomodo conlatio. eodem modo satisfiet et desideriis aliquorum. nam a multis saepe desideratum est, ut ad eruendam ueritatem ab aliquibus defensoribus partium conflictus haberetur. et fieri potuit. sed quoniam et accessum prohibent et aditus intercludunt et consessum uitant et conloquium denegant, uel tecum mihi, frater Parmeniane, sit isto modo conlatio, ut, quia tractatus tuos, quos in manibus et in ore multorum esse uoluisti, non aspernatus sum neque contempsi, sed omnia a te dicta patienter audiui, audias et tu humilitatis nostrae responsa.

Nam et ego intellego et tu non negas et quiuis sapiens peruidet te nulla alia ratione tam prolixe tractasse, nisi ut ecclesiam catholicam tuis tractatibus indigne pulsares. sed ut intellegi datur, aliud habet animus, aliud resonat sermo. denique non omnia te uideo dixisse contra catholicam: immo multa pro catholica, cum catholicus non sis, ut et nobis necesse non fuerit respondere tractatibus tuis, nisi quod — dum male instructus es, ut, quod non uidisti sed quod falso audieris, loquereris, cum in epistula Petri apostoli legerimus: nolite per opinionem iudicare fratres uestros — ut inter aliqua, quae ad nos non pertinent, sicuti probaturi sumus, diceres a nobis contra uos militem fuisse postulatum. ceterum a te in aliis partibus tractatus tui aliqua pro nobis dicta sunt et contra uos, ut diluuii et circumcisionis conparatio; quaedam et pro nobis et pro uobis, ut ea, quae in laude dixisti baptismatis, praeter illud. quod carnem Christi male tractaueris; ideo et pro uobis. quia quamuis foris sitis, tamen ex nobis existis. nam et illud pro ambobus, quod demonstrasti haereticos extraneos esse catholicis sacramentis, si tamen uos ipsos non eis adiungeres, quos esse scismaticos constat. quaedam pro nobis solis, ut unius ecclesiae commemoratio, quaedam contra uos per ignorantiam, quia peregrinus es, - ut traditorum et scismaticorum accusatio, etiam illud et contra uos, quod dixisti de oleo et sacrificio peccatoris. ac per hoc nihil contra nos a te dictum est, nisi quod ignoranter dixisti a nobis militem postulatum; quod calumniose a te dictum esse probationibus uerissimis demonstrabimus. tolle hanc calumniam et noster es. quid enim iam magis pro nobis et nostrum est quam quod dixisti in conparatione baptismatis semel factum esse diluuium? et singularem circumcisionem salubriter profecisse populo Iudaeorum magis pro nobis quasi noster locutus es. haec enim nostra uox est, qui in trinitate baptismatis unionem defeadimus, non pro uobis, qui baptisma, in cuius imagine sunt illa duo, audaciter et quod contra leges est, iteratis, quamuis et uos ipsi non negetis, quia

non debet iterari, quod semel iussum est fieri. sed tu dum subtiliter laudasti, quod omni laudis praeconio dignum est, callide uestram subposuisti personam, ut quasi, quia semel licet, uobis liceat, aliis denegetur. si traditoribus non licet, uobis licere non debuit, quorum principes probamus fuisse traditores. si scismaticis non licet, adaeque uobis licere non debuit, apud quos origo scismatis inuenitur. si peccatoribus non licet, etiam peccatores uos esse testimonio diuino conuincimus. et tamen quia semel licet, non per electum hominem sed per quod semel licet, ideo post uos non emendamus, quia et apud nos et apud uos unum est sacramentum, cuius sacramenti ratio tota quinto libro monstrabitur.

A te quidem, frater Parmeniane, multa tractata sunt; sed uideo mihi non eo respondendum esse ordine, quo a te dicta sunt singula. tu enim primo loco dixisti conparationes laudesquo baptismatis et praeter carnem Christi a te male tractatam cetera bene dixisti. hoc enim magis pro nobis te dixisse suo loco monstrabitur. secundo autem loco exclusis haereticis unam dixisti esse ecclesiam; sed eam ubi sit, agnoscere noluisti. tertio loco traditores nullis certis personis I aut nominibus accusasti. quarto a te unitatis lacerati sunt operarii. quinto, ut minuta praetermittam, dixisti de oleo et sacrificio peccatoris.

Sed mihi uidetur primo loco traditorum et scismaticorum indicandas esse ciuitates personas et nomina, ut quae a te de his dicta sunt, ueros auctores et certos reos suos agnoscant. deinde mihi dicendum est, quae uel ubi sit una ecclesia, quae est, quia praeter unam altera non est. tertio a nobis militem non esse petitum et ad nos non pertinere, quod ab operariis unitatis dicitur esse commissum. quarto loco, quis sit peccator, cuius sacrificium repudiat deus, uel cuius oleum fugiendum sit. quinto de baptismate, sexto de inconsideratis praesumptionibus et erroribus uestris.

Sed priusquam de rebus singulis aliquid dicam, quod carnem Christi male tractaueris, breuiter ostendam. dixisti enim carnem illam peccatricem Iordanis mersam diluuio ab uniuersis sordibus esse mundatam. merito hoc diceres, si caro Christi pro omnibus baptizata sufficeret, ut nemo pro se baptizaretur. si ita esset, ibi esset totum genus hominum. illic omne, quo.d cfcrporaliter natum est. nihil [inter]esset inter fideles et unumquemque gentilem. quia in omnibus caro est; et dum nemo non est, qui non habeat carnem, si, ut dixisti, caro Christi diluuio Iordanis demersa est, omnis caro hoc beneficium consequeretur. aliud est enim caro Christi in Christo, aliud uniuscuiusque in se. quid tibi uisum est carnem Christi dicere peccatricem? utinam diceres: caro hominum in carne Christi, nec sic probabiliter dixeras, quia unusquisque credens in nomine Christi baptizatur, non in carne Christi, quae specialiter illius erat. adde, quod eius caro de spiritu sancto concepta inter alios non potuit in remissam peccatorum tingi, quae nullum uidebatur admisisse peccatum. addidisti et Iordanis diluuio demersam . satis inconsiderate hoc usus es uerbo, quod uerbum soli Pharaoni et eius populo debebatur, qui pondere delictorum tamquam plumbum ita mersus sit, ut ibi remanserit. Christi autem caro dum in Iordane descendit et ascendit, mersa a te dici non debuit; cuius caro ab ipso Iordane sanctior inuenitur, ut magis aquam ipsa descensu suo mundauerit, quam ipsa mundata sit.

Etiam illud praeterire non possum, quod te subtiliter egisse considero, ut ad inducendos uel decipiendos animos auditorum post circumcisionis et diluuii descriptionem et post laudem baptismatis haereticos cum erroribus suis iam mortuos et obliuione sepultos quodammodo resuscitare uoluisti, quorum per prouincias Africanas non solum uitia sed etiam nomina uidebantur ignota. Marcion Praxeas Sabellius Ualentinus et ceteri usque ad Cataphrygas temporibus suis a Uictorino Petauionensi et Zephyrino Urbico et a Tertulliano Carthaginensi et ab aliis adsertoribus ecclesiae catholicae superati sunt. ut quid bellum cum mortuis geris, qui ad negotium temporis nostri non pertinent? sed quia scismaticus hodie aliquid peccati, quod probare possis in catholicos, non habes. ideo ad prolixitatem scripturae tuae augendam tot haereticos cum erroribus suis commemorare uoluisti.

Nunc alia quaestio est, ut quid a te memorati sunt illi, apud quos non sunt sacramenta, quae nobis et uobis uidentur esse communia. sanitas non flagitat medicinam, de se secura uirtus forinsecus non quaerit auxilia, ueritas non desiderat argumenta. aegroti est remedia quaerere, inertis et inbecillis est auxilia conparare, mendacis est argumenta conquirere. interea dixisti apud haereticos dotes ecclesiae esse non posse et recte dixisti; scimus enim haereticorum ecclesias singulorum prostitutas nullis legalibus sacramentis et sine iure honesti matrimonii esse. quas non necessarias recusat Christus. qui est sponsus unius ecclesiae, sicut in canticis canticorum ipse testatur. qui cum unam laudat, ceteras damnat, quia praeter unam, quae est uere catholica, ceterae apud haereticos putantur esse, sed non sunt; secundum quod indicat, ut supra diximus, in canticis canticorum unam esse columbam suam, eandem sponsam electam, eundem hortum conclusum et fontem signatum, ut haeretici omnes neque claues habeant, quas solus Petrus accepit, nec anulum, quo legitur fons esse signatus, nec aliquem illorum esse, ad quem hortus ille pertineat, in quo deus arbusculas plantat. de quibus haereticis, quamuis ad praesentem non pertineat causam, quod diu locutus es, et suffecerat et abundabat. sed miror, quid tibi uisum est etiam uos ipsos eis adiungere, quos esse scismaticos constat, dum ecclesiae dotes et haereticis ipsis et uobis scismaticis denegasti. dixisti enim inter cetera scismaticos a uite uelut sarmenta esse concisos, destinatos poenis tamquam ligna arida gehennae ignibus reseruari. sed uideo te adhuc ignorare scisma apud Carthaginem a uestris principibus factum. quaere harum originem rerum et inuenies te hanc in uos dixisse sententiam, cum scismaticis haereticos sociasti. non enim Caecilianus exiuit a Maiorino auo tuo sed Maiorinus a Caeciliano; nec Caecilianus recessit a cathedra Petri uel Cypriani sed Maiorinus, cuius tu cathedram sedes, quae ante ipsum Maiorinum originem non habet. et cum haec ita gesta esse manifestissime constet, et uos heredes traditorum et scismaticorum esse euidenter adpareat, satis te miror, frater Parmeniane, cum scismaticus sis, scismaticos haereticis iungere uoluisse. aut si sic tibi uidetur et ita placet, cumula illa, quae a te paulo ante sunt dicta. dixisti enim fieri non posse, ut [in] falso baptismate inquinatus abluat, inmundus emundet. subplantator erigat, perditus liberet, reus ueniam tribuat, damnatus absoluat. bene haec omnia potuerunt ad solos haereticos pertinere, quia falsauerunt symbolum, dum alter dixit duos deos, cum deus unus sit, alter patrem uult in persona filii cognosci, alter carnem subducens filio dei, per quam deo recanciliatus est mundus, et ceteri huiusmodi, qui a sacramentis catholicis

alieni esse noscuntur. quare paeniteat te talibus hominibus etiam scismaticos adiunxisse; in te enim conuertisti sententiae gladium, dum aestimas, quia alteros adpetebas et non adtendisti, inter scismaticos et haereticos quam sit magna distantia. inde est, quod ignoras, et quae sit sancta ecclesia; et sic omnia miscuisti.

Catholicam facit simplex et uerus intellectus intellegere, singulare ac uerissimum sacramentum et unitas animorum. scisma uero sparso coagulo pacis dissipatis sensibus generatur, liuore nutritur, aemulatione et litibus roboratur, ut deserta matre catholica inpii filii, dum foras exeunt et se separant, ut uos fecistis, a radice matris ecclesiae inuidiae falcibus amputati errando rebelles abscedunt; nec possunt nouum aliquid aut aliud agere, nisi quod iamdudum apud suam didicerant matrem.

Haeretici uero ueritatis exules, sani et uerissimi symboli desertores, de sinu sanctae ecclesiae inpiis sensibus deprauati, contempto, quod bene fuerant geniti, ut ignorantes et rudes deciperent, de se nasci uoluerunt. et qui iamdudum uitalibus pasti fuerant cibis, corruptela malae digestionis in perniciem miserorum disputationibus inpiis uenena mortifera uomuerunt. uides ergo, frater Parmeniane, haereticos a domo ueritatis satis extorres solos habere uaria et falsa baptismata, quibus inquinatus non possit abluere, inmundus emundare, subplantator erigere, perditus liberare, reus ueniam tribuere, damnatus absoluere. bene clausisti hortum haereticis, bene reuocasti claues ad Petrum, bene abstulisti colendi potestatem, ne arbusculas colerent ii, quos ab hortulo et a paradiso dei constat alienos; bene subduxisti anulum iis, quibus aperire non licet ad fontem. uobis uero scismaticis, quamuis in catholica non sitis, haec negari non possunt, quia nobiscum uera et communia sacramenta traiistis. quare cum haec omnia haereticis bene negentur, quid tibi uisum est haec et uobis negare uoluisse, quos scismaticos esse manifestum est? uos enim foras existis. quantum in nobis est, uolebamus, ut soli damnarentur haeretici; quantum in te est, etiam uos ipsos cum eis una sententia ferire uoluisti.

Sed iam ut ad propositum singularum rerum ordinem redeamus, primo loco audi qui fuerint traditores, et plenius auctores scismatis disce. in Africa duo mala et pessima admissa esse constat, unum in traditione, alterum in scismate, sed utraque mala et uno tempore et iisdem auctoribus uidentur esse commissa. debes ergo, frater Parmeniane, discere. quod intellegeris ignorare. nam ferme ante annos sexaginta et quod excurrit per totam Africam persecutionis est diuagata tempestas, quae alios fecerit martyres, alios confessores, nonnullos funestam prostrauit in mortem, latentes dimisit inlaesos. quid commemorem laicos, qui tunc in ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti ? quid ministros plurimos ? quid diaconos in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? ipsi apices et principes omnium, aliqui episcopi illius temporis, ut damno aeternae uitae istius incertae lucis moras breuissimas conpararent, instrumenta diuinae legis inpie tradiderunt. ex quibus erant Donatus Masculitanus, Uictor Rusiccadensis. Marinus ab aquis Tibilitanis, Donatus Calamensis et homicida Purpurius Limatensis, qui interrogatus de filiis sororis suae, quod eos in carcere Milei necasse diceretur, confessus est dicens: \'et occidi et occido non eos solos sed

et quicumque contra me fecerit.\' et Menalius. qui ne turificasse a suis ciuibus probaretur. oculorum dolorem fingens ad consessum suorum procedere trepidauit.

Hi et ceteri, quos principes tuos fuisse paulo post docebimus, post persecutionem apud Cirtam ciuitatem, quia basilicae necdum fuerant restitutae, in domum Urbani Carisi consederunt die III. Iduum Maiarum, sicut scripta Nundinarii tunc diaconi testantur et uetustas membranarum testimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus. harum namque plenitudinem rerum in nouissima parte istorum libellorum ad inplendam fidem adiunximus. hi episcopi interrogante Secundo Tigisitano se tradidisse confessi sunt. et cum ipse Secundus a Purpurio increparetur, quod et ipse diu apud stationarios fuerit et non fugerit sed dimissus sit, non sine causa dimissum fuisse, nisi quia tradiderat, iam omnes erecti coeperant murmurare. quorum spiritum Secundus metuens consilium accepit a filio fratris sui Secundo minore, ut talem causam deo seruaret. consulti sunt, qui remanserant, id est Uictor Garbensis, Felix a Rotario et Nabor a Centurionis. hi dixerunt talem causam deo debere reseruari. et dixit Secundus: sedete omnes\'; tunc dictum est ab omnibus: deo gratias\'. et sederunt. habes ergo, frater Parmeniane, qui manifesto fuerint traditores.

Deinde non post longum tempus iidem ipsi, tot et tales ad Carthaginem profecti traditores, turati, homicidae Maiorinum, cuius tu cathedram sedes, post ordinationem Caeciliani ordinauerunt scisma facientes. et quoniam traditionis reos principes uestros fuisse monstratum est. consequens erit eosdem fuisse auctores scismatis. quae res ut clara et manifesta esse omnibus possit, ostendendum est, ex qua radice sese usque in hodiernum erroris protenderint rami et ex quo fonte riuulus iste maligni liquoris occulte serpens usque in tempora nostra manauerit. dicendum est, unde et ubi et a quibus ortum constet hoc alterum malum, quae conuenerint causae, quae fuerint operatae personae. qui auctores huius mali, qui nutritores, a quibus sint inter partes ab imperatore postulata iudicia, qui sederint iudices, ubi sit actum concilium, quae sint prolatae sententiae. de diuisione agitur: et in Africa sicut et in ceteris prouinciis una erat ecclesia, antequam diuideretur ab ordinatoribus Maiorini, cuius tu hereditariam cathedram sedes. uidendum est, quis in radice cum toto orbe manserit, quis foras exierit, quis cathedram sederit alteram, quae ante non fuerat, quis contra altare altare erexerit, quis ordinationem fecerit saluo altero ordinato, quis iaceat sub sententia Iohannis apostoli, qui dixit multos antichristos foras exituros: quia non erant, inquit, nostri, nam si nostri essent, mansissent nobiscum. ergo qui in uno cum fratribus manere noluit, haereticos secutus quasi antichristus foras exiuit.

Hoc apud Carthaginem post ordinationem Caeciliani factum esse nemo [est] qui nesciat, per Lucillam scilicet, nescio quam feminam factiosam, quae ante concussam persecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo esset ecclesia, cum correptionem archidiaconi Caeciliani [Lucilla] ferre non posset; quae ante spiritalem cibum et potum os nescio cuius martyris, si tamen martyris, libare dicebatur, et cum praeponeret calici salutari os nescio cuius hominis mortui, et si martyris sed toecdum uindicati, correpta cum confusione irata

discessit. irascenti et dolenti, ne disciplinae succumberet, occurrit subito persecutionis innata tempestas.

Isdem temporibus Felix quidam diaconus, qui per famosam nescio quam de tyranno imperatore tunc factam epistulam reus appellatus est, periculum timens apud Mensurium episcopum delituisse dicitur. quem cum postulatum Mensurius publice denegaret, relatio missa est. rescriptum uenit, ut, si Mensurius Felicem diaconum non reddidisset, ad palatium dirigeretur. conuentus non leues patiebatur angustias; erant enim ecclesiae ex auro et argento [quam] plurima ornamenta, quae nec defodere terrae nec secum portare poterat quae quasi fidelibus senioribus commendauit commemoratorio facto, quod cuidam aniculae dedisse dicitur ita, ut, si ipse non rediret, reddita pace christianis anicula illa illi daret, quem in episcopali cathedra sedentem inueniret. profectus causam dixit: iussus est reuerti, ad CartLaginem peruenire non potuit.

Tempestas persecutionis peracta et definita est. iubente deo indulgentiam mittente Maxentio christianis libertas est restituta. Botrus et Celestius, ut dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes operam dederunt, ut absentibus Numidis soli uicini episcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. tunc suffragio totius populi Caecilianus eligitur et manum inponente Felice Autumnitano episcopus ordinatur. Botrus et Celestius de spe sua deiecti sunt. breuis auri et argenti sedenti Caeciliano, sicuti delegatum a Mensurio fuerat, traditur adhibitis testibus. conuocantur supra memorati seniores, qui faucibus auaritiae commendatam ebiberant praedam. cum reddere cogerentur, subduxerunt communioni pedem, non minus et ambitores, quibus et ordinari non contigit, necnon et Lucilla. quae iamdudum ferre non potuit disciplinam, cum omnibus suis potens et factiosa femina communioni misceri noluit. sic tribus conuenientibus causis et personis factum est, ut malignitas haberet effectum.

Scisma igitur illo tempore confusae mulieris iracundia peperit, ambitus nutriuit, auaritia roborauit. ab his tribus personis contra Caecilianum causae confictae sunt, ut uitiosa eius ordinatio diceretur. ad Secundum Tigisitanum missum est, ut Carthaginem ueniretur . proficiscuntur omnes supra memorati traditores, suscepti hospitio ab auaris, ab ambitoribus, ab iratis, non a catholicis, quorum petitione Caecilianus fuerat ordinatus. interea ad basilicam, ubi cum Caeciliano tota ciuica frequentia fuerat, nullus de supradictis accessit. tunc a Caeciliano mandatum eat: \'si est, quod in me probetur, exeat accusator et probet\'. illo tempore a tot inimicis nihil in illum potuit confingi, sed de ordinatore suo, quod ab his falso traditor diceretur, meruit infamari. iterum a Caeciliano mandatum est, ut, si Felix in se, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsi tamquam adhuc diaconum ordinarent Caecilianum. tunc Purpurius solita malitia fretus, quasi et Caecilianus filius sororis eius esset, sic ait: \'exeat huc\', quasi inponatur illi manus in episcopatu et quassetur illi caput de paenitentia. his rebus conpertis tota ecclesia Caecilianum retinuit, ne se latronibus tradidisset. illo tempore aut reus de sede debebat expelli, aut communicari debuit innocenti. conferta erat ecclesia populis, plena erat cathedra episcopalis, erat altare loco suo, in quo pacifici episcopi retro temporis obtulerant, Cyprianus, [Carpophorius], Lucianus et ceteri.

sic exitum est foras et altare contra altare erectum est et ordinatio inlicite celebrata est et Maiorinus, qui lector in diaconio Caeciliani fuerat, domesticus Lucillae, ipsa suffragante episcopus ordinatus est a traditoribus, qui in concilio Numidiae, ut superius diximus, crimina sua sibi confessi sunt et indulgentiam sibi inuicem tribuerunt. manifestum est ergo exisse de ecclesia et ordinatores, qui tradiderunt, et Maiorinum, qui ordinatus est.

Interea de suorum criminum fonte, qui apud eos multorum flagitiorum uenis exuberauerat, unum traditionis conuicium in ordinatorem Caeciliani deriuandum esse putauerunt prouidentes, quod fama duas res similes uno tempore loqui non posset. ut crimina in silentium mitterent sua, uitam infamare conati sunt alienam; et cum possent ipsi ab innocentibus argui. innocentes arguere studuerunt mittentes ubique litteras liuore dictante conscriptas, quas inter ceteros actus habemus in posterum. adhuc Carthagine positi praecesserunt se epistulis suis, ut rumoribus falsis cunctorum aures insererent. mendacium sparsit fama per populos, et dum de uno celebrata sunt falsa, supra dictorum uerissima crimina sub silentio latuerunt. frequenter solet erubesci de crimine, Sed illo tempore non fuit, cui erubesceretur, quia praeter paucos catholicos peccauerant uniuersi et quasi imago fuerat innocentiae inter multos nefas admissum. parum erat traditionis facinus, quod per Donatum Masculitanum et ceteros supradictos constabat admissum; etiam ingens flagitium scismatis traditioni iunxerunt.

Uides ergo, frater Parmeniane, haec duo crimina tam mala, tam grauia, traditionis et scismatis, ad tuos principes pertinere. agnosce uel sero incurrisse te in tuos, dum insectaris alienos; et cum priores tuos constet operatos esse hoc alterum nefas, etiam uos eos sceleratis uestigiis sequi laboratis, ut, quod illi priores in titulo scismatis fecerant, et uos iamdudum fecisse et nunc facere uideamini. illi ruperunt suis temporibus pacem, uos exterminatis unitatem. de parentibus uestris et de uobis merito dici potest: caecus caecum si duxerit, utrique in foueam cadunt. oculos patrum uestrorum furiosus excaecauerat liuor, aemulatio uestros orbauit. scisma summum malum esse et uos negare minime poteritis. et tamen Dathan et Abiron et Core, perditos magistros uestros, sine trepidatione estis imitati nec ponere ante oculos uoluistis hoc malum et uerbis dei esse prohibitum et admissum grauiter uindicatum. deinde esse distantiam delictorum aut remissio testatur aut poena. denique inter cetera praecepta etiam haec tria iussio diuina prohibuit: non occides, non ibis post deos alienos. et in capitibus mandatorum: non facies scisma. uideamus de his tribus, quid oportuerit puniri et quid meruerit relaxari. parricidium principale delictum est; et tamen Cain nec reus a deo percutitur sed occisus insuper uindicatur. in Niniue ciuitate hominum milia centum uiginti sacrilega, quae deos alienos sequi uidebantur . post iracundiam dei et nuntium Ionae prophetae ieiunium parui temporis et oratio indulgentiam meruit. uideamus, an aliquid tale consecuti sunt hi, qui populos dei primitus ausi sunt scindere. tot milibus filiorum Israhel. quorum a ceruicibus diuina prouidentia iugum seruile deiecerat, Aaron sanctum unum praefecerat sacerdotem. sed cum ministri eius sacerdotium non sibi debitum concupiscentes seducta parte populi inlicite inuaderent, ritum imitati sacrorum ducentos et quod excurrit ministros secum perituros cum turibulis in fronte seducti populi posuerunt. deus, cui displicet scisma, hoc libenter uidere non potuit. indixerant quo-

dammodo deo bellum, quasi esset alter deus. qui alterum acciperet sacrificium. igitur deus pro facto scismate iratus est ira magna. et quod in sacrilegos et parricidam non fecerat, in scismaticos fecit. stabat ministrorum acies et multitudo sacrile\'ga cum interdictis sacrificiis suis ilico peritura; negatum et subductum est paenitentiae tempus. quia non talis erat culpa, quae ueniam mereretur. mandata est terrae fames : statim fauces suas in populi diuisores aperuit et contemptores mandatorum dei auido hiatu absorbuit. intra momenti spatium ad transglutiendos praedictos terra patuit, rapuit, clausa est. et ne beneficium de mortis conpendio consequi uiderentur, dum non essent digni uiuere, his nec mori concessum est: tartareo carcere subito clausi ante sunt sepulti quam mortui. et miramini in uos aliquid tale aspere factum, qui scisma aut facitis aut colitis, cum uideatis, quid magistri primitiui scismatis pati meruerunt. an quia cessat talis modo uindicta, ideo tibi cum tuis uindicas innocentiam? deus in singulis rebus exemplorum posuit formam, ut sit, quod inputet imitantibus . prima peccata ad exemplum praesens poena conpressit, secunda iudicio reseruabit. quid ad haec dicturi estis, qui scisma usurpato ecclesiae nomine et occulte nutritis et inpudenter defenditis ?

Sed quia audio aliquos de societate tua litigandi studio chartas habere nescio quas, quaerendum est, quibus sit adcommodanda fides, quae cum ratione concordent, quae cum ueritate confibulent. uestrae si sunt aliquae, mendaciis forte uideantur adspersae. nostras chartas probant et conflictus causarum et contentiones partium et exitus iudiciorum et epistulae Constantini. nam quod de nobis dicitis, quid christianis cum regibus? aut quid episcopis cum palatio? si nota est nosse reges, uos tota perfundit inuidia. nam maiores uestri: Lucianus. Dignus, Nasutius, Capito. Fidentius et ceteri imperatorem Constantinum harum rerum adhuc ignarum his precibus rogauerunt, quarum exemplum infra scriptum est: rogamus te, Constantine optime imperator — quoniam de genere iusto es, cuius pater inter ceteros imperatores persecutionem non exercuit et ab hoc facinore inmunis est Gallia, nam in Africa inter nos et ceteros episcopos contentiones sunt — petimus, ut de Gallia nobis iudices dari praecipiat pietas tua. datae a Luciano, Digno, Nasutio, Capitone, Fidentio et ceteris episcopis partis Donati.

Quibus lectis Constantinus pleno liuore respondit. in qua responsione et eorum preces prodidit, dum ait: petitis a me in saeculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium expectem. et tamen dati sunt iudices Maternus ex Agrippina ciuitate. Reticius ab Augustoduno ciuitate, Marinus Arelatensis. ad urbem Romam uentum est ab his tribus Gallis et ab aliis quindecim Italis. conuenerunt in domum Faustae in Laterano Constantino quater et Licinio ter consulibus sexto Nonas Octobris die, sexta feria, cum consedissent Miltiades episcopus urbis Romae et Reticius et Maternus et Marinus episcopi Gallicani et Merocles a Mediolano, Florianus a Sinna, Zoticus a Quintiano, Stennius ab Arimino. Felix a Florentia Tuscorum, Gaudentius a Pisis, Constantius a Fauentia. Proterius a Capua, Theophilus a Beneuento, Sabinus a Terracina. Secundus a Praeneste. Felix a tribus Tabernis, Maximus ab Ostia, Euandrus ab Ursino, Donatianus a Foro Claudii.

His decem et nouem consedentibus episcopis causa Donati et Caeciliani in medium missa est. a singulis in Donatum sunt hae sententiae latae: quod confessus sit se rebaptizasse et episcopis lapsis manum inposuisse, quod ab ecclesia alienum est. testes inducti a Donato confessi sunt se non habere. quod in Caecilianum dicerent. Caecilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronuntiatus, etiam Miltiadis sententia. qua iudicium clausum est his uerbis: cum constiterit Caecilianum ab his, qui cum Donato uenerunt, iuxta professionem suam npn accusari nec a Donato conuictum esse in aliqua parte constiterit, suae communioni ecclesiasticae integro statu retinendum merito esse censeo.

Sufficit ergo et Donatum tot sententiis esse percussum et Caecilianum tanto iudicio esse purgatum. et tamen Donatus appellandum esse credidit. ad quam appellationem Constantinus imperator sic respondit: o rabida furoris audacia! sicut in causis gentilium fieri solet. appellandum episcopus credidit et reliqua.

Eeodem tempore idem Donatus petiit, ut ei reuerti licuisset * * ad Carthaginem accederet. tunc a Filumino, suffragatore eius, imperatori suggestum est, ut bono pacis Caecilianus Brixiae retineretur; et factum est. tunc duo episcopi ad Africam missi sunt, Eunomius et Olympius, ut remotis binis unum ordinarent. uenerunt et apud Carthaginem fuerunt per dies quadraginta, ut pronuntiarent, ubi esset catholica. hoc seditiosa pars Donati fieri passa non est, de studio partium strepitus cotidiani sunt habiti; nouissima sententia eorundem episcoporum Eunomii et Olympii talis legitur. ut dicerent illam esse catholicam, quae esset in toto orbe terrarum diffusa, et sententiam decem et nouem episcoporum iamdudum datam dissolui non posse. sic communicauerunt clero Caeciliani et reuersi sunt. de his rebus habemus uolumen actorum, quod si quis uoluerit, in nouissimis partibus legat. cum haec fierent, Donatus ultro prior ad Carthaginem redit. quo audito Caecilianus ad suam plebem properauit. hoc modo iterum renouellatae sunt partes. constat tamen et Donatum tot sententiis esse percussum et Caecilianum innocentem totidem sententiis pronuntiatum.

Sed quia in ipsa causa iamdudum in catholica duorum uidebantur laborare personae. et ordinati et ordinatoris, postquam ordinatus in urbe purgatus est, et purgandus adhuc remanserat ordinator. tunc Constantinus ad Aelianum proconsulem scripsit, ut remotis necessitatibus publicis de uita Felicis Autumnitani publice quaereretur. sedit. cui erat iniunctum. inducti sunt Claudius Saturianus, curator reipublicae. qui fuit tempore persecutionis in ciuitate Felicis, et curator praesentis tunc temporis, quando causa fiagitabatur, Callidius Gratianus, et magistratus Alfius Caecilianus, sed et Superius stationarius perductus et Ingentius scriba publicus pependit sub metu inminentium tormentorum. responsis omnium nihil tale inuentum est, quod uitam Felicis episcopi sordidare potuisset. habetur uolumen actorum, in quo continentur praesentium nomina, qui fuerant in causa Claudii Saturiani curatoris et Caeciliani magistratus et Superii stationarii et scribae Ingentii et Solonis officialis publici ipsius temporis. post quorum responsa a supra memorato proconsule haec pars sententiae dicta est: Felicem autem religiosum episcopum liberum esse ab exustione strumentorum deificorum manifestum est, cum nemo in eum aliquid probare potuerit, quod religiosissimas scripturas prodiderit uel exusserit. omnium enim interrogatio suprascripto-

rum manifesta est nullas scripturas deificas uel inuentas uel corruptas uel incensas fuisse. hoc actis continetur, quod Felix episcopus religiosus illis temporibus neque praesens fuerit neque conscientiam adcommodauerit neque aliquid tale fieri iusserit. unde repulsa atque extersa infamia cum ingenti laude de illo iudicio recessit. iamdudum opinionis incertae et inter caligines, quas liuor et inuidia exalauerat, latere ueritas uidebatur. sed etiam omnis scriptura memorata et actorum uoluminibus et epistulis commemoratis aut lectis reuelata est.

Uides te, frater Parmeniane, in catholicos traditorum nomine falso obiecto frustra esse inuectum, mutans uidelicet personas et transferens merita. clausisti oculos, ne parentes tuos reos agnosceres, aperuisti eos, ut innocentes et indignos criminose pulsares. omnia pro tempore, nihil pro ueritate, ut et de te dixerit beatissimus apostolus Paulus: quidam autem conuersi sunt in uaniloquium uolentes se esse legis doctores, non intellegentes, quae dicunt neque de quibus adfirmant. paulo ante docuimus uestros parentes fuisse traditores et scismaticos; et tu ipsorum heres nec scismaticis nec traditoribus parcere uoluisti. iam igitur documentis supra memoratis omnia tela, quae falso in alienos iactare uoluisti, ueritatis clipeo repulsa in tuos parentes reciproco ictu uertuntur. omnia igitur, quae a te in traditores et scismaticos dici potuerunt, uestra sunt; nam nostra non sunt. qui et in radice manemus et in toto orbe terrarum cum omnibus sumus.

Liber Secundus

Quoniam et qui fuerint traditores ostensum est et scismatis origo ita monstrata est, ut paene oculis perspecta uideatur, etiam haeresis ab scismate quid distet ostendimus: illud demonstrare iam proximum est — quod nos promisimus secundo loco esse dicturos — quae sit una ecclesia, quam columbam et sponsam suam Christus appellat. ergo ecclesia una est, uius sanctitas de sacramentis colligitur, non de personarum superbia ponderatur; ergo hanc unam columbam et dilectam sponsam suam Christus appellat. haec apud omnes haereticos et scismaticos esse non potest; restat, ut uno loco sit. eam tu, frater Parmeniane, apud uos solos esse dixisti, nisi forte quia uobis specialem sanctitatem de superbia uindicare contenditis, ut ubi uultis, ibi sit ecclesia et non sit, ubi non uultis. ergo ut in particula Africae, in angulo paruae regionis [ut] apud uos esse possit, apud nos in alia parte Africae non erit? in Hispaniis, in Gallia, in Italia, ubi uos non estis, non erit ? si apud uos tantum[modo] esse uultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Moesia, Thracia, Achaia, Macedonia et in tota Graecia, ubi uos non estis, non erit? ut apud uos esse possit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Pamphilia, Phrygia, Cilicia et in tribus Syriis et in duabus Armeniis et in tota Aegypto et in Mesopotamia, ubi uos non estis, non erit? et per tot innumerabiles insulas et ceteras prouincias, quae numerari uix possunt, ubi uos non estis, non erit? ubi ergo erit proprietas catholici nominis, cum inde dicta sit catholica, quod sit rationabilis et ubique diffusa? nam si sic pro uoluntate uestra in angustum coartatis ecclesiam, si uniuersas subducitis gentes, ubi erit illud, quod filius dei meruit? ubi, quod libenter ei largitus est pater in secundo psalmo dicens: dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae? ut quid tale infringitis promissum, ut a uobis mittatur quasi in quendam carcerem latitudo regnorum? quid tantae pietati obstare contenditis? quid contra saluatoris merita militatis ? permittite filium possidere concessa, permittite patri promissa conplere. cur ponitis metas? cur figitis terminos? cum a deo patre saluatori tota terra promissa sit, non est quicquam in aliqua parte terrarum, quod a possessione eius uideatur exceptum. tota est donata terra cum gentibus, totus orbis [terrae] Christo una possessio est. hoc probat deus, qui ait: dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae. et in LXXI psalmo de ipso saluatore sic scriptum est: dominabitur a mari usque ad mare et a fluminibus usque ad terminos orbis terrae. pater dum donat, nihil excipit; uos ut concedatis unciam, totam libram auferre conamini. et adhuc nitimini suadere hominibus apud uos solos esse ecclesiam auferentes meritum Christo, negantes praestitutum a deo.s o ues-

tra ingrata et stulta praesumptio! Christus uos cum ceteris in societatem regni caelestis inuitat et coheredes sitis hortatur, et uos eum in hereditate sibi a patre concessa fraudare laboratis, dum Africae partem conceditis et totum terrarum orbem, qui ei a patre donatus est, denegatis. quid mendacem uideri uultis spiritum sanctum, qui in XLVIIII psalmo omnipotentis dei beniuolentiam narrat, dum dicit: deus deorum dominus locutus est et uocauit terram ab ortu solis usque ad occasum? uocata est ergo terra, ut caro fieret, et sicut legitur, facta est et debet laudes [deo] creatori suo. denique commemoratur spiritu sancto. hortante et dicente in CXII psalmo, dum dicit: laudandum nomen domini ab ortu solis usque ad occasum et iterum in XCV psalmo: cantate domino canticum nouum. si hunc uersum solum diceret, possetis dicere, quia uos solos hortatus est spiritus sanctus. sed ut ostenderet, quia non ad uos solos dictum est sed ad ecclesiam, quae ubique est, secutus est dicens: cantate domino omnis terra, pronuntiate inter gentes gloriam ipsius, in omnibus populis mirabilia eius. pronuntiate, inquit, inter gentes, non dixit in particula Africae, ubi uos estis\', pronuntiate, inquit, in omnibus populis; qui omnes populos dixit, neminem excepit, et uos solos ab omnibus populis, de quibus hoc mandatum est, separatos esse gratulamini et uultis uos solos esse totum, qui in omni toto non estis. laudandum, inquit, nomen domini et a tota terra et ab ortu solis usque ad occasum. numquid pagani extralegales possunt aut cantare deo aut laudare nomen domini et non sola ecclesia, quae in lege est? quam si apud uos tantummodo esse dicitis, fraudatis aures dei. si uos soli laudatis, totus tacebit orbis, qui est ab ortu solis usque ad occasum. clausistis ora omnium christianarum gentium, indixistis silentium populis uniuersis deum per momenta laudare cupientibus. igitur si et deus debitas sibi laudes expectat, et ut sonent, spiritus sanctus hortatur et totus orbis, quod debet deo, paratus est reddere, ne fraudetur deus, etiam uos ipsi laudate cum omnibus aut, quia noluistis esse cum omnibus, soli conticescite.

Ergo quia probauimus eam esse ecclesiam catholicam, quae sit in toto terrarum orbe diffusa, eius iam commemoranda sunt ornamenta et uidendum, ubi sint quinque dotes, quas tu sex esse dixisti, inter quas cathedra est prima, ubi nisi sederit episcopus, coniungi altera dos non potest, qui est angelus. uidendum est, quis et ubi prior cathedram sederit. si ignoras, disce; si nosti, erubesce: ignorantia tibi adscribi non potest, restat ergo, ut noueris. scientem errare peccatum est; nam ignorantibus nonnumquam solet ignosci. igitur negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse conlatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus, unde et Cephas est appellatus, in qua una cathedra unitas ab omnibus seruaretur, ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam scismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram conlocaret.

Ergo cathedram unicam, quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo [Alexander, Alexandro] Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Iginus, Igino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri [Eleutherius, Eleutherio] Uictor, Uictori Zephyrinus, Zephyrino Calixtus, Calixto Urbanus, Urbano Pontianus, Pontiano Anterus, Antero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Sixtus, Sixto Dionysius, Dionysio Felix, Felici [Eutychianus, Eutychiano Gaius, Gaio] Marcellinus, Marcellino [Marcellus, Marcello] Euse-

bius, Eusebio Miltiades, Miltiadi Siluester, Siluestro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, hodie qui noster est socius: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat. uestrae cathedrae uos originem reddite, qui uobis uultis sanctam ecclesiam uindicare.

Sed et habere uos in urbe Roma partem aliquam dicitis: ramus est uestri erroris, protentus de mendacio, non de radice ueritatis. denique si Macrobio dicatur, ubi illic sedeat, numquid potest dicere, in cathedra Petri? quam nescio si uel oculis nouit et ad cuius memoriam non accedit quasi scismaticus contra apostolum faciens, qui ait; memoriis sanctorum communicantes. ecce praesentes sunt ibi duorum memoriae apostolorum. dicite, si ad has ingredi potuit aut obtulit illic, ubi sanctorum memorias esse constat. ergo restat, ut fateatur socius uester Macrobius se ibi sedere, ubi aliquando sedit Encolpius; si et ipse Encolpius interrogari posset, diceret se ibi sedere, ubi ante sedit Bonifatius Ballitanus; deinde si et ipse interrogari posset, diceret, ubi sedit Uictor Garbensis a uestris iamdudum de Africa ad paucos erraticos missus. quid est hoc, quod pars uestra in urbe Roma episcopum ciuem habere non potuit? quid est, quod toti Afri et peregrini in illa ciuitate sibi successisse noscuntur? non apparet dolus, non factio, quae mater est scismatis ? in terea ut Uictor Garbensis hinc prior mitteretur — non dico lapis in fontem, quia nec ualuit puritatem catholicae multitudinis perturbare, sed quia quibusdam Afris urbica placuerat commoratio et hinc a uobis profecti uidebantur — ipsi petierunt, ut aliquis hinc, qui illos conligeret, mitteretur. missus est igitur Uictor: erat ibi filius sine patre, tiro sine principe, discipulus sine magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, pastor sine grege, episcopus sine populo. non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta et quod excurrit basilicas locum, ubi conligerent, non habebant. sic speluncam quandam foris a ciuitate cratibus saepserunt, ubi ipso tempore conuenticulum habere potuissent; unde Montenses appellati sunt. igitur quia Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifatio, Bonifatius Uictori successisse uidentur: si Uictori diceretur, ubi sederet, nec ante se aliquem illic fuisse monstraret nec cathedram aliquam nisi pestilentiae ostenderet. pestilentia enim morbis extinctos homines ad inferos mittit, qui inferi portas suas habere noscuntur; contra quas portas claues salutares accepisse legimus Petrum, principem scilicet nostrum, cui a Christo dictum est: tibi dabo claues regni caelorum et portae inferorum non uincent eas.

Unde est ergo, quod claues regni caelorum uobis usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri uestris praesumptionibus et audaci sacrilegio militatis, beatitudinem repudiantes, qua laudari meruit, qui non abiit in consilio inpiorum et in uia peccatorum non stetit et in cathedra pestilentiae non sedit? in consilio inpietatis itum est a maioribus uestris, ut diuideretur ecclesia. inierunt etiam peccatorum uiam, dum Christum partiri conati sunt, cuius Iudaei nec uestimenta scindere uoluerunt, cum apostolus [Paulus] clamet et dicat: numquid diuisus est Christus? et utinam, si iam malam uiam intrauerant, agnito peccato super se reuerterentur, id est emendarent, quod errauerant, reuocarent, quam fugauerant pacem. hoc erat de uia reuerti: in uia enim ambulatur, non statur. sed quia parentes uestri reuerti noluerunt, ipsos constat in uia peccatorum stetisse; quorum gressus inpulerat furor,

retentos ligauit pigra discordia. et ne regredi ad meliora potuissent, ipsi sibi scismatis conpedes posuerunt, ut in errore [suo] pertinaciter starent, ne ad pacem, quam deseruerant, reuerti potuissent. nec audierunt spiritum sanctum dicentem in psalmo XXXIII: diuerte a malo et fac bonum; inquire pacem et persequere eam, sed steterunt in uia peccatorum suorum. sederunt etiam in cathedra pestilentiae, quae, ut supra diximus, seductos mittit ad mortem. sed dum et uos parentum errorem colentes studiose defenditis, heredes sceleris esse uoluistis, cum filii pacis uel sero esse possetis. cum in Ezechiele propheta scriptum sit: extolle uocem tuam super filium peccatoris, ne uestigia patris sui sequatur, quoniam anima patris mea est et anima filii mea est. anima quae peccat, sola punietur, si displiceret uobis, quod parentes uestri peccauerunt, de admissu suo soli redderent rationem;. hoc modo uel uos beati esse possetis et laudem de ore prophetae percipere, qui ait in psalmo primo: beatus uir, qui non abiit in consilio inpiorum et in uia peccatorum non stetit et in cathedra pestilentiae non sedit; sed in lege domini fuit uoluntas eius. quid est aliud in lege habere uoluntatem, nisi diuina praecepta et religiose discere et cum timore conplere ? in qua lege scriptum est: pax hominibus in terra bonae uoluntatis, et alio loco, in Esaia propheta: ponam fundamenta pacis in Sion, et alio loco: uideamus, quid loquatur dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et alio loco: uenit filius dei et factus est in pace locus eius, et alio loco: suscipiant montes pacem populo et colles iustitiam, et in euangelio: pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis, et Paulus ait: qui pacem serit, pacem et metet, et in omnibus epistulis suis: pax uobis abundet in nomine patris et filii et spiritus sancti, et in psalmo XXXIII: quaere pacem et consequeris eam. fugata recesserat pax a patribus uestris; uos eam, sicuti a deo mandatum est, quaerere deberetis, quam nec ultro uoluistis quaerere nec oblatam libenter accipere. quis enim in tot prouinciis, quibus nati estis, audiuit? et si aliquis audiuit, quis non uestrum miretur errorem, quis non uestrum facinus damnet? igitur cum manifestum sit et ipsa luce sit clarius nos cum tot innumerabilibus populis esse et tot prouincias nobiscum, iam uidetis uos in parte unius regionis positos et ab ecclesia uestris erroribus esse separatos, frustra uobis solis hoc nomen ecclesiae cum suis dotibus uindicare, quae magis apud nos sunt quam apud uos, quas constat ita sibi conexas et indiuiduas esse, ut intellegatur unam ab altera separari non posse. etenim numerantur in nomine, sed uno intellectu suo iunguntur in corpore ut in manu digiti, quos interuallis singulos \' uidemus esse distinctos. unde qui tenet unum, totos teneat necesse est, cum unusquisque a paribus separari non possit. adde quod non unam solam sed omnes proprie possidemus.

Igitur de dotibus supradictis cathedra est, ut diximus, prima, quam probauimus per Petrum nostram esse, quae ducit ad se angelum, nisi forte eum uobis uindicantes habetis in loculis clausum. mittite illum, si potestis, excludat septem angelos, qui sunt apud socios nostros in Asia, ad quorum ecclesias scribit Iohannes apostolus, cum quibus ecclesiis nullum communionis probamini habere consortium. unde uobis angelum, qui apud uos possit fontem mouere aut inter ceteras dotes ecclesiae numerari? extra septem ecclesias quicquid foris est, alienum est. aut si inde habetis aliquem unum, per unum communicatis et ceteris an-

gelis et per angelos supra memoratis ecclesiis et per ipsas ecclesias nobis. si ita est, litigium perdidistis.

Ecce iam apud uos omnes dotes esse non possunt; non enim spiritum dei soli uobis uindicare poteritis aut includere, quod intellegitur et non uidetur. sic enim in euangelio scriptum est: nam spiritus deus est et ubi uult, aspirat et uocem eius audis et nescis, unde ueniat et quo eat. permittite deum, unde uelit, ire et quo uelit accedere habeat libertatem, qui audiri potest et uideri non potest. et tamen studio criminandi libenter blasphemare uoluisti, ut diceres: \'nam in illa ecclesia quis spiritus esse potest nisi qui pariat filios gehennae?\' uomuisti de pectore tuo conuicium et putasti adiungendum esse de euangelio testimonium, ubi lectum est: uae uobis, hypocritae. qui circuitis maria et terras, ut faciatis unum proselytum, et cum inueneritis, facitis eum filium gehennae dupliciter quam uos estis. si hoc conuicium faciendum erat, quod non licet, quamuis sine causa fiat, utinam aliquis alter ex uestro numero hoc fecisset! te tamen hoc dixisse satis admiror; id falso in alterum te dicere, ex quo, si ordinationem tuam consideres, possis et erubescere? commemorasti enim lectum esse in euangelio: uae nobis, hypocritae, qui circuitis maria et terras, ut faciatis unum proselytum, hoc est, ut mutetis alicuius sectam. tu quidem cuius sectae fueris nescio, tamen inportune a te hoc dictum esse aestimo, quod te iam forte huius dicti paeniteat. numquid nos aliquas peragrauimus terras ? numquid nos aliqua circumiuimus maria ? numquid nos ad peregrinos accessimus portus ? numquid nos aliquem adduximus Hispanum aut Gallum aut nos ordinauimus ignorantibus peregrinum?

Nam et fontem constat unam esse de dotibus, unde haeretici non possunt uel ipsi bibere uel alios potare, quia soli sigillum integrum, id est symbolum catholicum, non habentes ad fontem uerum aperire non possunt. * * nam cum in canticis canticorum scriptum sit: umbilicus tuus ut crater tornatilis, umbilicum altare adfirmare conatus es. si umbilicus membrum est in corpore, inter dotes esse non potest, quod membrum est; si ornamentum est, pars corporis non est.

Restat iam, ut dotes quinque esse uideantur, quae dotes cum sint ecclesiae catholicae, quae est in tot prouinciis supra memoratis, etiam apud nos hic in Africa deesse non possunt. intellegite uel sero uos esse filios inpios, uos esse fractos ramos ab arbore, uos esse abscisos palmites a uite, uos riuum concisum a fonte. non enim potest origo esse riuus, qui paruus est et non de se nascitur, aut arbor a ramo concidi, cum arbor fundata suis radicibus gaudeat et ramus, si fuerit exsectus, arescat. iamne uides, frater Parmeniane, iamne sentis, iamne intellegis te argumentis tuis contra te militasse, cum probatum est nos esse in ecclesia sancta\' catholica, apud quos et symbolum trinitatis est, et per cathedram Petri, quae nostra est, per ipsam et ceteras dotes apud nos esse? etiam sacerdotium, quod in nobis adnullare uisus es in excusatione erroris et liuoris uestri, dum post nos rebaptizatis et post socios uestros in peccatc detectos hoc non facitis. dixisti enim, quod, si sacerdos in peccato sit, solae possint dotes operari. igitur, quia docuimus, et quid sit haeresis et quid sit scisma et quid sit sancta ecclesia, et huius sanctae ecclesiae est constituta persona et hanc esse catholicam, quae sit in toto orbe terrarum diffusa, cuius membra et nos inter alios sumus,

cuius dotes apud illam ubique sunt. deinde in primo libro probauimus ad nos non pertinere traditionis inuidiam et hoc crimen etiam a nobis esse damnatum.

Iam illud mihi nolo respondeas, cur de solis ecclesiae dotibus loqui uoluisti et de sanctis eius membris ac uisceribus tacuisti, quae sunt procul dubio in sacramentis et in nominibus trinitatis. cui concurrit fides credentium et professio, quae apud acta conficitur angelorum, ubi mis entur caelestia et spiritalia semina, ut sancto germine noua possit renascentium indoles procreari, ut, dum trinitas cum fide concordat, qui natus fuerat saeculo, renascatur spiritaliter deo. sic fit hominum pater deus, sancta sic fit mater ecclesia. haec omnia intellego a te ideo non esse nominata, ne in his omnibus ratio baptismatis agnosceretur, ubi nihil sibi operarius, qui homo est, uindicet, quod uos facitis. ideoque ad solas dotes te conferre uoluisti, quas uelut manu adprehensas aut arca conclusas catholicis denegans uobis solis eas frustra uindicare conatus es. cum agatur de regeneratione, cum agatur de homine innouando, nulla a te credentium fides, nulla professio nominata est; dum uis de solis dotibus loqui, haec omnia, sine quibus spiritalis ilia natiuitas reparari non potest, in silentio remisisti, et cum dotes ad sponsam, non sponsa ad dotes pertineat, sic ordinasti dotes, quasi ipsae uideantur generare, non uiscera, quae intelleguntur plus posita in sacramentis quam in ornamentis.

Nec illud praetereo, quod ore tuo et sensu nostro ecclesiam paradisum esse dixisti (quae res sine dubio uera est), in quo horto deus plantat arbusculas. et tamen deo diuitias suas denegastis, cuius hortum in angustias cogitis, n dum uobis solis inmerito omnia uindicatis. utique plantationes dei sunt diuersa semina per diuersa praecepta. iusti, conti- nentes, misericordes et uirgines spiritalia sunt semina; harum \' rerum arbusculas in paradiso deus plantat; concedite deo, ut hortus eius sit longe lateque diffusus. quid illi negatis orientis et septentrionis, etiam occidentis prouinciarum omnium et innumerabilium insularum populos christianos, contra quos uos soli, pauci, rebelles estis et cum quibus nullum communionis consortium possidetis?

Iam et mendacium uestrum hoc loco iuste damnari potest, quo cotidie a uobis sacrificia condiuntur. nam quis dubitet uos illud legitimum in sacramentorum mysterio praeterire non posse? offerre uos deo dicitis pro ecclesia, quae una est. hoc ipsum mendacii pars est unam te uocare, de qua feceris duas; et offerre uos dicitis deo pro una ecclesia, quae sit in toto terrarum orbe diffusa. quid? si unicuique uestrum dicat deus: quid offers pro tota, qui non es in tota ? si nos uobis displicemus, quid uobis fecit Antiochia ciuitas, quid Arabia prouincia, unde probamus uenientes a uobis esse rebaptizatos ?

In uno tibi solo, Parmeniane frater, ingrati esse non possumus, quod ecclesiam nostram, id est catholicam, quae continetur toto orbe terrarum, quamuis ab ea sis alienus, laudare uoluisti in numerando dotes, in quarum numero satis errasti, et in dicendo, quia ipsa est hortus conclusus et fons signatus et unica sponsa. hoc nos de nostro dicimus, nam tu de alieno locutus es. quicquid de laudibus ecclesiae dicere potuisti, et nos priores eadem loquimur. traditores uobiscum et ipsi damnamus, eos uidelicet, quos, si meministi, in primo libro demonstrauimus. et cum sit nobis cum uniuerso terrarum orbe communio et uniuer-

sis prouinciis nobiscum, sic iamdudum duas ecclesias conparare uoluisti, quasi sola habeat Africa populos christianos, in qua uitio uestro duae uidentur partes effectae; et dum inmemor factus es Christi dicentis unam esse sponsam suam; tu in Africa non dixisti duas esse partes sed duas ecclesias. certe una est, quae ex uoce Christi meruit indicari, qui ait: una est columba mea, una est sponsa mea.

Et tu huius uocis oblitus ad inuidiam catholicis faciendam his locutus es uerbis: neque enim ilia ecclesia dici potest, quae cruentis morsibus pascitur et sanctorum sanguine et carnibus opimatur\'. certa membra sua habet ecclesia episcopos, presbyteros, diaconos, ministros et turbam fidelium. dicite, cui generi hominum in ecclesia. nostra hoc possit adscribi, quod obicere uoluisti; specialiter nomina aliquem ministrum, ostende aliquem diaconum nomine\' suo, indica hoc ab aliquo factum esse presbytero, proba hoc episcopos admisisse, doce aliquem nostrum cuiquam insidiatum esse. quis nostrum quemquam persecutus est? quem a nobis persecutum esse aut dicere poteris aut probare? quia tibi unitas displicet, hoc si crimen putas, argue nos Thessalonicensibus, Corinthiis, Galatis, septem ecclesiis, quae sunt in Asia, communicasse. si nefas tibi uidetur aut si reatum putas memoriis apostolorum et sanctorum omnium communicasse, hoc nos fecisse non solum non negamus sed etiam gloriamur.

Sed ut ostendam partem uestram, ut dixisti, cruentis morsibus pastam, christianorum sanguine et carnibus opimatam, a principio suo uester iam rabidus commemorandus est furor, iam uestra retexenda inpietas, iam stultitia demonstranda. in quo prius est ostendere erubescendam laetitiam uestram et gaudia criminosa, quod uobis ad pristini erroris libertatem redire datum esse constiterit. recensete tempora, discutite rationem rerum, dissimilia uota et personas diuersas adtendite. redeat in memoriam Constantinus imperator christianus, quem famulatum exhibuerit deo, quae habuerit uota? ut remotis scismatibus intermortua omni dissensione sub toto caelo filios suos gaudens in uno uideret sancta mater ecclesia. reddiderat una communione maritis uxores, parentibus filios, fratribus fratres. quibus rebus deus se laetari testatur, dum dicit: ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum. etenim cum Africanos populos et orientales et ceteros transmarinos pax una coniungeret et ipsa unitas repraesentatis omnibus membris corpus ecclesiae coagularet, dolebat hoc diabolus, qui semper de fratrum pace torquetur. illo tempore sub imperatore christiano desertus in idolis tamquam inclusus latebat in templis. hoc eodem tempore duces et principes uestros merita relegauerant sua, in ecclesia nulla fuerant scismata nec paganis licebat exercere sacrilegia: pax deo placita apud omnes christianos populos habitabat; diabolus maerebat in templis, uos in regionibus alienis.

Deinde, ut omnibus notum est, secutus alius imperator, uobiscum uota sinistra concipiens ex famulo dei factus est minister inimici, apostatam se edictis suis testatus est, quem precibus rogastis, ut reuerti possetis, quas preces, si uos negatis misisse, nos legimus. nec difficultatem praebuit, quem rogastis: ire praecepit pro uoto suo, quos intellexerat ad disturbandam pacem cum furore esse uenturos. erubescite, si ullus est pudor: eadem uoce uobis libertas est reddita, qua uoce idolorum patefieri iussa sunt templa.

Isdem paene momentis uester furor in Africam reuertitur, quibus diabolus de suis carceribus relaxatur. et non erubescitis, qui uno tempore cum inimico communia gaudia possidetis! uenistis rabidi, uenistis irati membra laniantes ecclesiae, subtiles in seductionibus, in caedibus inmanes, filios pacis ad bella prouocantes. de sedibus suis multos fecistis extorres, cum conducta manu uenientes basilicas inuasistis; multi ex numero uestro per loca plurima, quae sub nominibus dicere longum est, cruentas operati sunt caedes et tam atroces, ut de talibus factis ab illius temporis iudicibus relatio mitteretur. sed interuenit et occurrit iudicium dei, ut ille, qui uos iamdudum redire iusserat, imperator profanus et sacrilegus moreretur, qui persecutionem uobis prouocantibus iam miserat aut mittere disponebat.

Operata est apud loca supra dicta in catholicos trucidatio, memoramini per loca singula, qui fuerint uestri discursus. nonne de numero uestro fuerunt Felix Zabensis et Ianuarius Flumenpiscensis et ceteri, qui tota celeritate concurrerunt ad castellum Lemellefense? ubi cum contra inportunitatem suam uiderent basilicam clausam, praesentes iusserunt comites suos, ut ascenderent culmina, nudarent tecta, iactarent tegulas imperia eorum sine mora conpleta sunt; et cum altare defenderent diaconi catholioi, tegulis plurimi cruentati sunt, duo occisi sunt, Primus, filius Ianuarii, et Donatus, filius Nini, urgentibus et praesentibus coepiscopis uestris supra memoratis, ut sine dubio de uobis dictum sit: ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. de qua re Primosus episcopus catholicus loci supra memorati in concilio uestro apud Thenestinam ciuitatem questus est et querelas eius dissimulanter audistis. ecce a uobis factum est, quod dixisti: ecclesiam non esse, quae cruentis morsibus pascitur\' et aliud sunt milites missi, aliud episcopi ordinati\'. quod contra nos inuidiose loquimini, ab aliis factum est, non a nobis; quod dicitis non debuisse fieri, uos fecistis. commemorasti et beatissimum apostolum Paulum dixisse sine ruga et sine sorde ecclesiam esse debere. episcopis uestris iubentibus et praesentibus supra altare catholici diaconi occisi sunt; similiter et apud Carpos. non tibi uidentur inexpiabiles sordes? in Mauritaniae ciuitatibus uobis intrantibus quassatio populi facta est, mortui sunt in uteris matrum, qui fuerant nascituri. non tibi uidetur ruga, quae non possit ullis satisfactionibus tendi aut explanari? quid tale a nobis admissum est? nos expectamus uindicem deum. et inuidiam facitis Macario, qui si aliquid aspere fecit pro unitate, leue esse uideri poterit, dum uos pro dissensione tanta mala, acerba, cruenta et hostilia feceritis. quid commemorem Tipasam Caesariensis Mauritaniae ciuitatem, ad quam de Numidia Urbanus Formensis et Felix Idicrensis, duae faculae incensae liuoribus, cucurrerunt quietorum et in pace positorum animos perturbantes ? nonnullorum officialium et fauore et furore iuuante et Athenio praeside praesente cum signis catholica frequentia exturbata et cruentata de sedibus suis expulsa est: lacerati sunt uiri, tractae sunt matronae, infantes necati sunt, abacti sunt partus. ecce uestra ecclesia episcopis ducibus cruentis morsibus pasta est. post hoc etiam illud addidisti: \'quantum uult consumat edacitas uulturum, tamen maior est numerus columbarum\'. ubi est, quod uulgo dicitur, memoriam custodem habere esse mendacis? oblitus es, quia paulo ante dixisti ecclesiam unam columbam Christi in canticis canticorum dictam. si una est

apud uos ecclesia, una est columba; si una est columba, quid est, quod dicere uoluisti: numerus maior est columbarum ?\'

Et quod uobis leue uidetur, facinus inmane commissum est, ut omnia sacrosancta supra memorati uestri episcopi uiolarent. iusserunt eucharistiam canibus fundi, non sine signo ++ diuini iudicii; nam idem canes accensi rabie ipsos dominos suos quasi latrones, sancti corporis reos, dente uindice tamquam ignotos et inimicos laniauerunt. ampullam quoque chrismatis per fenestram, ut frangerent, iactauerunt, et cum casum adiuuaret abiectio, non defuit manus angelica, quae ampullam spiritali subuectione deduceret: proiecta casum sentire non potuit, deo muniente inlaesa inter saxa consedit. et possent ista non fieri, si mandata Christi in memoria haberetis, qui ait: ne dederitis sanctum canibus neque miseritis margaritas uestras ante porcos, ne inculcent eas pedibus suis et conuersi elidant uos. quid tale ab operariis unitatis fieri potuit, unde nobis catholicis uanam inuidiam facere laboratis? inde reuertentes Urbanus Formensis et Felix Idicrensis inuenerunt matres, quas de castimonialibus fecerant mulieres. ecce quales, frater Parmeniane, episcopos celas, et cum pro tuis erubescere debueras, catholicos innocentes accusas. interea Felix supra memoratus inter crimina sua et facinora nefanda ab eo conprehensa puella, cui mitram ipse inposuerat, a qua paulo ante pater uocabatur, nefarie incestare minime dubitauit. et quasi de peccato sanctior fieret, Tysedim uelociter properauit. sic Donatum annorum septuaginta episcopum, hominem innocentem, spoliare ausus est episcopali nomine et officio et honora. uenit scismaticus ad episcopum catholicum, ad innocentem reus, ad dei sacerdotem sacrilegus, incestus ad castum, ad episcopum iam non episcopus; sed de placito et de coniuratione uestra securus uestris legibus et decretis armatus manus, quas paulo ante peccata grauauerant, capiti innocentis iniecit et de illa lingua ausus est ferre sententiam, quae iam nec ad paenitentiam agendam uel idonea uidebatur. ecce quales, frater Parmeniane, defendis, ecce pro qualibus iamdudum dotes operari dixisti.

Etiam uos ipsi, qui sancti et innocentes uideri ab hominibus uultis, dicite: unde est ista sanctitas, quam uobis licentius usurpatis? quam Iohannes apostolus profiteri non audet, qui ait: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus et ueritas in nobis non est. hoc qui dixit, sapienter se ad dei gratiam reseruauit. est enim christiani hominis, quod bonum est, uelle et in eo, quod bene uoluerit, currere: sed homini non est datum perficere, ut post spatia, quae debet homo inplere, restet aliquid deo, ubi deficienti succurrat; quia ipse solus est perfectio et perfectus solus dei filius Christus. ceteri omnes semiperfecti sumus, quia nostrum est uelle, nostrum est currere, dei perficere. unde beatissimus apostolus Paulus ait: neque uolentis neque currentis sed ad dei gratiam pertinentis. nam et a Christo saluatore nostro perfecta sanctitas non est data sed promissa; denique sic ait: sancti eritis, quia ego sanctus sum. solus est ergo perfectus et sanctus. denique non dixit: sancti estis, sed dixit: sancti eritis. unde est ergo, quod uobis perfectam sanctitatem de superbia uindicatis? nisi ut appareat, quia uos ipsos decipitis et ueritas in uobis non est. in Iohannis schola esse noluistis. cum enim seducitis aliquos, promittitis uos indulgentiam peccatorum esse daturos, et cum uultis donare peccata, uestram profitemini innocentiam et remissionem peccatorum sic datis, quasi nullum habeatis ipsi peccatum. non est ista

praesumptio sed deceptio, nec ueritas sed mendacium. etenim inter uicina momenta dum manus inponitis et delicta donatis, mox ad altare conuersi dominicam orationem praetermittere non potestis et utique dicitis: pater noster, qui es in caelis, dimitte nobis debita et peccata nostra. quid uocaris, dum peccata confiteris tua? si sanctus es, dum dimittis aliena? hoc modo et uos ipsos decipitis, et ueritas in uobis non est. sed ut apparet, hoc uobis dictat nutrix uestra superbia, quam Christus in euangelio testificatur; quia etsi nomina uestra non dixit, per similitudinem tamen uestros mores ostendit; sic enim scriptum est: dicebat Iesus hanc similitudinem propter eos, qui se sanctos putant et contemnunt ceteros. hoc de uobis dictum esse ipsa res euidenter ostendit, dum uos quasi sanctos extollitis et nos manifesto aperteque contemnitis : duo, inquit, ascenderunt in templum adorare, unus pharisaeus et alter publicanus. pharisaeus tumidus, superbus, inflatus, talis, quales et uos uidemus, non humiliato corpore, non inclinata ceruice sed erecta facie et tumenti pectore gratias, inquit, tibi, deus, quia nihil peccaui. hoc est dicere deo: non in me habeo, quod ignoscas. o insanus furor, o punienda et damnanda superbia! deus paratus est ignoscere et reus festinat indulgentiam recusare. publicanus humilis hominem se esse cognoscens sic rogauit dicens: propitius esto, domine, mihi peccatori. sic iustificari meruit [humilitas], sic superbia in pharisaeo, magistro uestro, de templo damnata descendit. meliora inuenta sunt peccata cum humilitate quam innocentia cum superbia. deinde cum uobis traditionis et scismatis grauia peccata non desint, insuper et superbos uos esse gratulamini.

Nunc quoniam erubescenda gaudia uestra probauimus et furor uester tot locis ostensus est, restat de profunda inpietate uestra aliquid dicere, nam omnia, quae a uobis aut fiunt aut facta sunt, quis poterit explicare? sic cuncta malignitate quadam ordinasse uos constat, ut in una specie operis uestri species alias inpleretis, ut, dum presbyter aut episcopus deicitur, sic populus caperetur. quando posset turba hominum stare, quae rectorem suum a uobis elisum esse conspiceret? non aliter quam quocumque casu pastore occiso lupi grassantur. exorcizastis fideles et lauistis sine causa parietes, ut hoc nequitiae genere subrueretis simplicissimorum hominum mentes. talibus consiliis uestris nonnullorum animi iugulati sunt et sub nube simplicitatis occaecato astutiae lumine, ut miseros sterneretis, sagittas de pharetra pectoris uestri seductionibus praemisistis, ut de uobis spiritus sanctus per Dauid prophetam in decimo psalmo praedixerit: quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas in pharetra sua ad sagittandos in obscura luna rectos corde. quid a uobis minus factum est uestris consiliis? sagittati sunt innocentes, exarmati fideles, honore nominis sui spoliati sunt sacerdotes. o inpietas inaudita, quem iugulaueris inter paenitentiae tormenta seruare! in conparatione operis uestri latronum leuior uidetur inmanitas. uos uiuum facitis homicidium, latro iugulatis dat de morte conpendium; paupertate sensus sui circumuenti sunt, quos decipere potuistis. perfecti enim fuerant illi, opere scilicet dei, qui in eius nomine fuerant ordinati. et uos contra opus dei hostiliter militatis diuinum opus malitiae uectibus destruentes! apparet ergo de uobis dictum esse in X psalmo: quoniam quae tu perfecisti, ipsi destruxerunt. fecit uos superbos inpietas uestra, sed accusat uos prospiciens de caelo iustitia; et iniqua uos gerentes error hominum laudat, ut de uobis in VIIII psalmo dixerit spiritus sanctus: [dum superbit inpius, incenditur pauper; conprehen-

duntur in consiliis, quae cogitant], quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae, et qui iniqua egerit, benedicetur. quid iniquius quam exorcizare spiritum sanctum, altaria frangere, eucharistiam animalibus proicere ? et ut in errorem uos uester populus mittat, laudando felices appellant et bene nominant et per uos iurant et personas uestras iam pro deo habere noscuntur.

Solet deus ad probandam fidem in iuratione ab hominibus nominari. sed cum per uos iuratur, iam apud uestros de deo et Christo silentium est. si ad uos diuina migrauit de caelo religio, quia per uos iuratur, nemo uestrum aut uestrorum langueat: nolite mori, imperate nubibus, pluite, si potestis, ut per uos plenius iuretur et de deo sileatur. nam et prioribus saeculis ut templa fabricarentur et idola fierent, quid a uestro populo diabolus potuit amplius facere? nihil aliud, nisi ut de deo taceretur, dum per errorem homines de solo diabolo loquebantur.

sacrilegium inpietati conmixtum, dum homines per uos iurantes libenter auditis et uocem dei auribus non admittitis uestris, qui in CIIII psalmo sic ait: ne tetigeritis unctos meos neque in prophetas meos manum miseritis. unctos autem esse et reges et sacerdotes et libri Regnorum indicant et Dauid in psalmo CXXXII sic ait: sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron. et tamen uos contra isdem uiribus conati estis praecepta contemnere, quibus, qui deum timent, mandata conantur inplere. docete, ubi uobis mandatum est radere capita sacerdotum, cum e contrario sint tot exempla proposita fieri non debere. Saul antequam peccaret, ungi meruit, post unctionem non leuiter offendit. hoc deus cum uideret, propter oleum non tangendum uolens exempla proponere paenitentiam suam professus est. sic enim legitur dixisse dominum: paenitet me unxisse Saul in regem. et utique potuit deus oleum quod dederat, auferre. sed cum uoluit docere non debere contingi oleum etiam in peccatore, ipse qui dederat, paenitentiam gessit. igitur deus si, ut te doceret, quod dedit, auferre non potuit, per quod noluit, tu quis es, ut auferas, quod non dedisti? et qui parare debebas aures ad audiendum, parasti nouaculam ad delinquendum. et cum possetis esse filii dei, filii hominum esse uoluistis et ad infigendum morsum honoribus alienis dentes uestros in sagittas et arma uertistis, linguas acuistis in gladios, inplestis, quod de uobis in psalmo LVI scriptum est: filii hominum, dentes eorum arma et sagittae et lingua eorum gladius acutus.

Ergo linguas uestras acuistis in gladios, quas mouistis in mortes non corporum sed honorum, iugulastis non membra, sed nomina. quid prodest, quia uiuunt homines et honores a uobis occisi sunt? ualent quidem membris sed ereptae portant funera dignitatis. extendistis enim manum et super omne caput mortifera uelamina praetendistis, ut, cum sint, sicut supra dixi, quattuor genera capitum in ecclesia: episcoporum, presbyterorum, diaconorum et fidelium, nec uni parcere uoluistis, euertistis animas hominum. hos actus uestros dolet deus in Ezechiele propheta, cum dicit: uae facientibus uelamen — hoc est inponentibus manum — super omne caput et super omnem aetatem ad euertendas animas. inuenistis pueros; de paenitentia sauciastis, ne aliqui ordinari potuissent: agnoscite uos animas eu-

ertisse. inuenistis fideles antiquos; fecistis paenitentes: agnoscite uos animas euertisse. inuenistis diaconos, presbyteros, episcopos; fecistis laicos: agnoscite uos animas euertisse.

Socius et comes uester iamdudum fuerat, cui nunc manus inferre conatus es: pariter currebatis . fac illum peccasse, cum peccatum non esse constet; iacebat, ut aestimas; • si apostolum legisti, tu uide, cui stes, et ille cui iaceat; si seruus es, dominum recognosce et intellege, quia non tibi iacebat, qui tecum paulo ante currebat. quid in potestatem alienam inruis, quid temerarius dei tribunal ascendis ? et cum ipse sis reus, in alterum audes ferre sententiam et legisti: qui stat, domino suo stat, et qui iacet, domino suo iacet. potens est autem dominus eius suscitare eum; tu quis es, qui de seruo alieno iudices? oleum sacerdoti a deo conlatum non debuisse uos tangere a puero dei Dauid discere debuistis, qui sic per Samuelem ungitur, ut Sauli, quod iamdudum datum fuen.fc, minime tolleretur. denique uel cum deo iubente uel euentu procurante una eos spelunca concluderet, uenerat in potestatem pueri Dauid Saul, qui peccauerat. uidetur non uidens ideo, quod a maiori lumine, ut fieri adsolet, in caligine clausi aeris alterum iuxta se uidere non potuit. innumerabiles antiquum regem sequebantur exercitus, sed ipse rex in potestatem uenerat alienam. occasionem uictoriae Dauid habebat in manibus: incautum et securum aduersarium sine labore poterat iugulare et sine sanguine et conflictu multorum poterat bellum per conpendium remittere in caedem; et pueri eius et occasio suadebant, ad uictoriam opportunitas hortabatur. stringere iam coeperat ferrum, ire iam coeperat armata manus hostiles in iugulos, sed obstabat plena diuinorum memoria mandatorum, hortantibus se pueris et occasionibus contradicit, tamquam et hoc diceret: sine causa me, uictoria, prouocas, frustra me, occasio, in triumphos inuitas\'. uolebat hostem uincere, sed prius est domini diuina praecepta seruare. Non mittam, inquit, manus in unctum domini. repressit cum gladio manum; et dum timuit oleum, seruauit inimicum et ut conpleret obseruantiam, uindicauit occisum. uos nec deum timetis nec fratres agnoscitis, in cote liuoris acuistis nouaculas linguae et diuina praecepta calcantes miserorum properastis in capita, ut in captiuitatem caecos et inperitos populos iugulatis ducibus traheretis. esuritis honores innocentium sacerdotum; unde furori uestro tanta fames innata est, ut guttura uestra sepulcra patentia faceretis. unicuique sepulcro sufficit unum funus et clauditur: gutturi uestro honorum funera minime suffecerunt et adhuc patent, dum aliquos quaeritis deuorare, ut merito de uobis dictum sit: sepulcrum patens est guttur eorum. nam et de maledictione praesumitis, cum scriptum sit: benedicite et nolite maledicere. quisquis contra uestram uoluntatem aliquid fecerit, intentatis terrores, maledicta praetenditis, et quia aliqui homines plus mali mereri possunt quam boni, quicquid iudicium dei aut peccati meritum fecerit, amaris uestris maledictionibus uindicatis, merito quia de nobis dictum est: os eorum maledictione et amaritudine plenum est. gloriamini, quod uobis maledicentibus aliqui homines mori potuerunt. certe non licet occidere. an ideo uos putatis innocentes, quia ferro usi non estis ? innocentem se et uenenarius iudicet, si in solo ferro est homicidium. non sibi uideatur reus, qui alterum subducto cibo necauerit, innocentem se iudicet, qui spirandi prohibita facultate suffocauerit uiuere cupientem. necis multa sunt genera, sed unum nomen est mortis. maledictionibus tuis cum fiducia hominem mortuum protestaris, quid interest, an gladio ■ ferias an lingua

percutias? indubitanter homicida es, si per te mortuus fuerit, qui uiuebat. quisquis talis ex uobis est, frustra se christianum aut sacerdotem dei profitetur, qui lenitatem dei non curat imitari, cum scriptum sit [in Salomone]: deus mortem non fecit nec laetatur in perditione uiuorum. credo uos obliuisci non posse, quid per loca aliqua feceritis, cum eos, qui legem dei praedicabant, id est prophetas uelletis occidere contra iussionem dei dicentis: et in prophetas meos manum ne miseritis. Deuterium, Partenium, Donatum et Getulicum, dei episcopos, linguae gladio iugulastis, fundentes sanguinem non corporis sed honoris. uixerunt postea homines, sed a uobis occisi sunt in honoribus dei sacerdotes. multis notum est et probatum persecutionis tempore episcopos aliquos inertia a confessione nominis dei delapsos turificasse, et tamen nullus eorum, qui euaserunt, aut manum lapsis inposuit aut, ut genua figerent imperauit. et facitis uos hodie post unitatem, quod a nullo factum est post turificationem, quia scriptum est: ne tetigeritis unctos meos neque in prophetas meos manum miseritis. oleum suum defendit deus, quia, si peccatum est hominis, unctio est tamen. diuinitatis. ne tetigeritis, inquit, unctos meos: ideo, ne, dum peccatum hominis percutitur, et oleum, quod dei est, feriatur. iudicio suo deus seruauit rem suam et tamen uos passim inruistis in alienam corrumpentes omnium felicitatem. nam quae maior infelicitas, quam dei sacerdotes uiuere nec esse, quod fuerant ?

Matronae, pueri simul et uirgines a uobis coactae nullo interueniente peccato, salua innocentia et pudicitia uobis docentibus paenitentiam gerere didicerunt. numquid minor est infelicitas ? contriuistis sexus, uexastis aetates; uere de uobis dictum est in psalmo XIII: contritio et infelicitas in uiis eorum et uiam pacis -non cognouerunt, non est timor dei ante oculos eorum. indixistis paenitentiam plebibus; nec enim acta est ab aliquo, sed a uobis exacta, nec aequalibus temporum spatiis, sed egistis omnia pro personis, alter anno toto, alter mense, alter uix tota die imperantibus uobis paenitentiam gessit. si unitati consentire, ut uultis, peccatum est, si est similis culpa, quare non est aequalis pro eodem reatu paenitentia ? dubium non est populum credentium Israhel esse uocatum, plebes singulas filias Israhel, id est, qui mente deum uiderint et deo crediderint. et tamen has plebes coegistis flectere et inclinare ceruices et serie capitum iuncta massam paenitentium facere. has plebes dolet deus per Ezechielem prophetam dicens: uae filiabus Israhel, quae sarciunt ceruicalia, id est membra ceruicis, ut subponant sub cubito et sub manu. utique sub cubitis et sub manibus uestris et cum super eorum uel earum capita uelamina paenitentiae tenditis. quae inpietas uestra et furor ostensus est et superbia demonstrata; etiam stultitia fuerat reuelanda; sed hanc in sexto libro demonstrabo.

Liber Tertius

Satis, ut arbitror, in secundo libello de ecclesia, quae sponsa est Christi, et de eius dotibus et de hereditate diximus saluatoris; consequens est primo scismaticorum errores ostendere; deinde, quae fuerit causa, ut unitas fieret; tertio, quis fecerit, ut miles mitteretur armatus. ab operariis unitatis multa quidem aspere gesta sunt, sed ea ad quid inputatis Leontio, Macario uel Taurino ? inputate maioribus uestris, qui, sicut in propheta scriptum est, ut uobis stupescerent dentes, ipsi uuas acidas comederunt. illis primo, qui dei populum diuiserunt et basilicas fecerunt non necessarias, deinde Donato Carthaginis, qui prouocauit, ut unitas proximo tempore fieri temptaretur, tertio Donato Bagaiensi, qui insanam conlegerat multitudinem, a qua ne Macarius uiolentiam pateretur, ad se et ad ea, quae ferebat, tutanda armati militis postulauit auxilium. uenerunt tunc cum pharetris armigeri, repleta est unaquaeque ciuitas uociferantium; nuntiata unitate fugistis omnes. nulli dictum est: nega deum, nulli dictum est: incende testamentum, nulli dictum est: aut tus pone aut basilicas dirue; istae enim res solent martyria generare. renuntiata est unitas; sola fuerant hortamenta, ut deus et Christus eius a populo in unum conueniente pariter rogaretur. nullus erat primitus terror: nemo uiderat uirgam, nemo custodiam, sola, ut supra diximus, fuerant hortamenta. timuistis omnes, fugistis,. trepidastis, ut pro certo de uobis dictum sit, quod in psalmo quinquagesimo secundo scriptum est: ibi trepidauerunt timore, ubi non erat timor. fugerunt igitur omnes episcopi cum clericis suis, aliqui sunt mortui; qui fortiores fuerunt, capti et longe relegati sunt.

Et tamen horum omnium nihil actum est cum uoto nostro, nihil cum consilio, nihil cum conscientia, nihil cum opere, sed gesta sunt omnia in dolore dei amare plorantis et in ultionem aquae, quam contra interdictum iterum mouistis transducentes ad uos aquam antiquae piscinae. sed nescio an cum illo pisce, qui Christus intellegitur, qui in lectione patriarcharum legitur in Tigride flumine prehensus, cuius fel et iecur tulit Tobias ad tutelam feminae Sarae et ad inluminationem Tobiae non uidentis: eiusdem piscis uisceribus Asmodeus daemon a Sara puella fugatus est, quae intellegitur ecclesia, et caecitas a Tobia exclusa est. hic est piscis, qui in baptismate per inuocationem fontalibus undis inseritur, ut quae aqua fuerat, a pisce etiam piscina uocitetur. cuius piscis nomen secundum appellationem graecam in uno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet, 1XO1*2, quod est latinum: Iesus Christus, dei filius, saluator. hanc uos piscinam, quae in omni catholica per totum orbem terrarum ad uitam generis humani salutaribus undis exuberat,

transduxistis ad uoluntatem uestram et soluistis singulare baptisma, ex quo baptismate hominibus muri facti sunt ad tutelam, et fecistis quasi alteros muros nullum bonum aedificium facientes. non potuistis construere, nisi diruereti. et quale potest esse aedificium, quod de ruina construitur? hanc rem per Esaiam prophetam deus dolet et flet, cum dicit filiam sui generis esse contritam. genus dei est non habere genus, qui ex se est et manet in aeternum. similis est et aqua, quam non legimus factam. in cuius aquae iniuria indicat deus lacrimas suas, quas uos fecistis, quas testatur nulla posse consolatione siccari, cum ad uos per Esaiam prophetam loquitur dicens: missum me facite, amare plorabo, nemo poterit consolari me in contritione filiae generis mei. hoc loco defenditur innocentia nostra, dum deus cum dolore iracundiam uobis indicat suam, dum et causam prodit et rationem ostendit. denique non ait: in Sion, sed in una eius ualle sunt celebrata; non in illo monte Sion, quem in Syria Palaestina a muris Hierusalem paruus disterminat riuus — in cuius uertice est non magna planities, in quo fuerant septem synagogae, ubi Iudaeorum populus conueniens legem per Moysen datam discere potuisset — sed ubi nulla lis audita est nec ab aliquo celebratum iudicium nec aliqua est illic ab ullo iudice lata sententia — quia locus erat doctrinae, non controuersiae post doctrinam. si quid agendum erat, intra muros Hierusalem agebatur. inde scriptum est in Esaia propheta: ex Sion prodiet lex et uerbum domini de Hierusalem —: non ergo in illo monte Sion Esaias aspicit uallem sed in monte sancto, qui est ecclesia, qui per omnem orbem Romanum caput tulit sub toto caelo, in quo monte a deo patre filius dei regem se constitutum esse gratulatur in psalmo primo dicens: quoniam regem constituit me super Sion montem sanctum suum, utique super ecclesiam, cuius rex et sponsus et caput est, non in illo monte, ubi nullae sunt portae, quas diligat deus, sed in monte ecclesiae, qui spiritaliter appellatur. cuius ecclesiae portas introeunt innocentes, iusti, misericordes, continentes et uirgines, quas portas commemorat spiritus sanctus per Dauid in psalmo LXXXVI, dum dicit: fundamenta eius in montibus sanctis, diligit dominus portas Sion, non illius corporalis montis, ubi iam nullae sunt portae et post uictorias Uespasiani imperatoris uix antiquarum extant uestigia ruinarum. est ergo spiritalis Sion ecclesia, in qua a deo patre rex constitutus est Christus, quae est in toto orbe terrarum, in quo est una ecclesia catholica. nam Sion ecclesiam esse et alio loco sanctissimus Dauid propheta testatur dicens: lauda deum tuum, Sion, qui confortauit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. per singulas prouincias totius orbis ualles singulas intellegimus montis, et dum non in toto monte uidet Esaias sed in una ualle, hoc est sola Africa, in qua sola cum sufficerent templa dei, quae fuerant, alia facere uoluerunt principes uestri, in qua sola deiecti sunt muri, et [ut fierent muri] aqua sanctae piscinae transuersa est et nouitas contra antiquitatem a uobis instituta est et aqua humana contra diuinam ordinata est. hoc totum deus in uallem montis Sion et interrogat et increpat dicens: ut quid hoc factum est uobis? ideo, quoniam ascendistis in templa superuacanea: unaquaeque ciuitas repleta est uociferantium, uulnerati tui, non uulnerati gladio et mortui in te, non mortui in bello: in errore sunt a minimo usque ad maximum errantes in montibus omnes principes tui, in fugam conuersi sunt et qui capti sunt, grauiter adligati et fortiores tui longe fugati sunt. missum me facite, amare plorabo; nemo me poterit consolari in contritione filiae generis mei et ascendent Elamitae cum pharetris — Elamitae latina lingua dicuntur chori castrorum —

et secutus est dicens: penetralia uestra deferentur ad publicum et secreta domus Israhel nudabuntur. hoc in Africa factum est et totum hoc, quare factum est, indicauit deus, dum uobis inputat dicens: quoniam conuertistis aquam antiquae piscinae ad ciuitatem uestram et deiecistis muros Hierusalem, ut faceretis alteram munitionem, et constituistis aquam inter duas munitiones et ad piscinam antiquam adtendere noluistis nec ad eum, qui ab initio creauit illam.

Iam uides, frater Parmeniane, ad uos redundare omnia, a quorum principibus harum rerum omnium seminata est causa, deinde ad Donatum Carthaginensem, cuius ueneficio uidetur unitatis negotium esse commotum. in quo ostendam operarios eius non pro uoluntate nostra nec sua malitia aliquid fecisse, sed prouocantibus atque inpellentibus causis et personis, quas Donatus Carthaginis de leuitate sua constituit, dum magnum se uideri contendit. quem enim latet praeter te, quia peregrinus es, et potuerunt tibi falsa narrari ? aut quis negare potest rem, cui tota Carthago principaliter testis est, imperatorem Constantem Paulum et Macarium primitus non ad faciendam unitatem misisse, sed cum eleemosynis, quibus subleuata per ecclesias singulas posset respirare, uestiri, pasci, gaudere paupertas ? qui cum ad Donatum, patrem tuum, uenirent et, quare uenerant, indicarent. ille solito furore succensus in haec uerba prorupit: quid est imperatori cum ecclesia?\' et de fonte leuitatis suae multa maledicta effudit non minus quam in Gregorium aliquando, ad quem sic scribere minime dubitauit: \'Gregori, macula senatus et dedecus praefectorum\' et cetera talia, cui Donato praefatus patientia episcopali rescripsit. harum epistularum exemplaria multorum ore ubique cantantur. iam tunc meditabatur contra praecepta apostoli Pauli potestatibus et regibus iniuriam facere, pro quibus, si apostolum audiret, cotidie rogare debuerat. sic enim docet beatus apostolus Paulus: rogate pro regibus et potestatibus, ut quietam et tranquillam uitam cum ipsis agamus. non enim respublica est in ecclesia, sed ecclesia in republica, id est in imperio Romano, quod Libanum appellat Christus in canticis canticorum, cum dicit: ueni, sponsa mea inuenta, ueni de Libano, id est de imperio Romano, ubi et sacerdotia sancta sunt et pudicitia et uirginitas, quae in barbaris gentibus non sunt et, si essent, tuta esse non possent. merito Paulus docet orandum esse pro regibus et potestatibus, etiamsi talis imperator esset, qui gentiliter uiueret; quanto magis quod christianus, quanto quod deum timens, quanto quod religiosus, quanto quod misericors, ut ipsa res probat! miserat enim ornamenta domibus dei, miserat pauperibus eleemosynam, nihil Donato. cur ergo insaniuit? cur iratus est, cur, quod missum fuerat, repudiauit ? et cum illi, qui missi fuerant, dicerent se ire per prouincias singulas et uolentibus accipere se daturos, ille dixit ubique se litteras praemisisse, ne id, quod adlatum fuerat, pauperibus alicubi dispensaretur.s o consulere miseris o prouidere pauperibus o peccatoribus subuenire! clamat deus dicens: ego sum, qui feci pauperem et diuitem, non quia non potuit et pauperibus dare, sed, si ambobus daret, peccator qua sibi succurreret, inuenire non posset. denique sic scriptum est: quemadmodum aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. certe iam apud deum sunt ambo, et qui dare uoluit et qui obstitit, ne daretur. quid ? si iam dicat deus Donato: \'episcope, quid uis fuisse Constantem? si innocentem, quare ab innocente accipere noluisti? si peccatorem, quare non permisisti dare, propter quem feci pauperem?\'

sub hac interrogatione qualis futurus est? quid de leuitate et furore laborauit tantis pauperibus inpedire? Carthaginis principatum se tenuisse crediderat; et cum super imperatorem non sit nisi solus deus, qui fecit imperatorem, dum se Donatus super imperatorem extollit, iam quasi hominum excesserat metas, ut prope se deum, non hominem aestimaret non reuerendo eum, qui post deum ab hominibus timebatur. denique per Ezechielem increpat spiritus sanctus principem Tyri, id est principem Carthaginis, cum per prophetam his loquitur uerbis: fili hominis, dic aduersus principem Tyri: haec dicit dominus deus: quia exaltatum est cor tuum et dixisti: ego sum deus. Tyrum Carthaginem esse primo Esaias probat, in quo legitur uisio super Tyrum et sequitur: ululate naues Carthaginis. deinde Tyrum Carthaginem esse etiam mundanae litterae protestantur; et si sit alia ciuitas, quae hoc nomine nuncupetur, nihil in alia uidetur factum, quod apud Carthaginem constat admissum. loquere, inquit deus, aduersus principem Tyri; non aduersus saecularem aliquem regem dicit esse loquendum nec ad multos sed ad unum, hoc est ad Donatum episcopum. neque enim fas erat prophetam Ezechielem, quem proxime nominaui, nisi principi episcopum conparare, qui sibi, ut diximus, principatum Carthaginis uindicabat, qui exaltauit cor suum et ab hominibus sibi superior uidebatur et sub se omnes etiam socios suos habere uoluisset; de quorum oblationibus nunquam est dignatus accipere, in qua re media est fides et deus Christus eius et querelae multorum, quibus in ipsa societate hanc iniuriam faciebat, ut solus secreto nescio quid ageret et postea ceteris perfunctorie misceretur. hoc modo exaltatum est cor eius, ut sibi iam non homo sed deus fuisse uideretur. denique et in ore populi raro est appellatus episcopus sed Donatus Carthaginis dicebatur. et merito princeps Tyri, id est Carthaginis appellari et increpari meruit, quia primus episcoporum, quasi plus esset ipse quam ceteri; et dum nihil humanum uoluit habere, exaltauit cor suum, non sicut cor hominis sed sicut cor dei, dum a ceteris hominibus aliquid plus esse cupiebat. ad quem deus sequitur dicens: dixisti, ego sum deus. ideo, quia quamuis non sit usus hac uoce, tamen aut fecit aut passus est, quod effectum huius uocis inpleret. extulit cor suum, ut nullum hominem sibi conparandum arbitraretur, et de tumore mentis suae altior sibi uisus est esse; quia quicquid est supra homines, iam quasi deus est. deinde cum episcopi deo debeant famulari, tantum sibi de episcopis suis exegit, ut eum non minori metu omnes uenerarentur quam deum; hoc est, quod sibi deus uisus est. et cum per solum deum solent homines iurare, passus est homines per se sic iurare tamquam per deum. in quo si unusquisque hominum errauerat, ipse prohibere debuerat; cum non prohibuit, deus sibi uisus est. deinde cum ante ipsius superbiam omnes, qui in Christo crediderant, christiani uocarentur, ausus est populum cum deo diuidere, ut qui illum secuti sunt, iam non christiani uocarentur, sed Donatistae; et si quando ad eum aliqui ex aliqua Africana prouincia ueniebant, non quaerebat illud, quod humana semper exigit consuetudo, de pluuiis, de pace, de prouentu anni aliquid interrogare, sed illius ad singulos quosque uenientes haec erant uerba: \'quid apud uos agitur de parte mea?\' quasi iam uere populum cum deo diuiserat, ut intrepide suam diceret partem. nam et a temporibus eius et usque in hodiernum si quando de rebus ecclesiasticis in iudiciis publicis aliqua celebrata est actio, interrogati singuli sic apud acta locuti sunt, ut dicerent se de parte esse Donati; de Christo tacuerunt. et quid de clericis dicam, cum legantur preces, quarum in primo libro fecimus mentionem, iamdudum ad Constantinum

missae et subscriptae, quae episcoporum nomina continebant, sic: \'datae a Capitone et Nasutio, Digno et ceteris episcopis partis Donati\'? et postulabant utique contra episcopos, qui dum non erant in parte Donati, in Christi catholica habitabant; et dum episcopus inter coepiscopos suos non fuit nec homo inter homines esse uoluit, constat, quod extulit cor suum et deus sibi fuisse uidebatur. nam cum et ordinatores tui — quorum nomina, frater Parmeniane, bene nosti, et ubi fuerint non ignoras, et qui uel a quo petiuerint et qualem rogauerint, ut redirent et tecum redire potuissent, et nos didicimus, cum easdem preces, quas dederant, apud Africanos iudices adlegarent, in quibus scriptum est: \'datae ab episcopis partis Donati\' — hic iam quid responsuri sunt in illo inminenti diuino iudicio, qui in hoc saeculo alio modo confessi sunt non se esse de ecclesia Christi, qui libenter professi sunt de parte fuisse [se] Donati, cum in. euangelio scriptum est Christo dicente: qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram patre meo? isti Donatum confessi sunt, non Christum. et ne parua sit ista probatio, quam ad ipsius personam pertinere manifestum est, accedit et illud testimonium, quo supra memorata increpatio clausa. est, quod dixit illum deus non in terra moriturum; et ita factum esse omnibus notum est. habitabat in. domo dei et erat in corde maris; ubique mare saeculum legimus, cum esset ipse non tantum in amore aliquorum christianorum, sed propter scientiam mundanarum litterarum erat etiam in corde maris, id est in amore saeculi et de scientia sua sapiens sibi uisus est. sed hanc sapientiam eius euacuauit deus, dum dicit: numquid sapientior tu quam Daniel? quam merito et bene eius sapientia humiliata est, qua putauit se Daniele esse sapientiorem in repudiandis muneribus regis, dum accipere noluit, quod ab imperatore christiano missum esse uidebatur! et uisus est sibi aut Daniel nouus aut sapientia Danieli praelatus, quia et ipse Daniel aliquando a Baltassare rege cum cogeretur accipere munera, id est anulum, torquem et cetera, dixisse legitur: dona tua tecum sint, rex. et sapienter respondit et conuicia regi non fecit et quod offerebatur, non damnauit sed distulit, non quo modo Donatus, qui et conuicia Constanti quanta potuit dixit et, quod ab eo pauperibus missum fuerat, repudiauit. sed Daniel sanctus sapiens inuentus est, ut munera oblata illa die non acciperet. illud enim quod ab eo petebatur, adhuc in caelo erat, et insipientis esset huius rei quasi mercedem accipere, quam nondum habuit in potestate; idcirco munera oblata illa die ad tempus accipere noluit. denique cum ei deus ostenderet, quod regi supradicto indicaret, Baltassari retulit, et quod iamdudum repudiasse uisus est, postea libenter accepit. merito increpat deus principem Tyri, Donatum, cum dicit: numquid tu sapientior quam Daniel? sed o quam longe est praesumptio Donati a persona Danielis! quod enim Baltassar dabat, Danieli dabat, non pauperibus; quod Constans christianus imperator tunc miserat, pauperibus transmiserat, non Donata. denique ait: sapientes te non docuerunt sapientiam suam, quia illud a Salomone discere noluisti. quod ait: absconde panem in corde pauperis et ipse pro te rogabit. quia etiam illud ab ipso Daniele discere noluit, quod dedit Nabuchodonosor consilium, quomodo satisfaceret, qui offenderat deum. et tu, inquit, rex, audi consilium meum et placeat tibi; peccata tua eleemosynis redime et iniustitias tuas in miserationibus pauperum. Daniel regi peccatori et sacrilego faciendas eleemosynas suadet; Donatus, qui increpari meruit, Constanti imperatori christiano, ne misericors esset, obstitit. ideo increpatur, quod eum sapientes non docuerunt sapientiam suam, qui, quod a rege

missum fuerat, per se dari passus non est. unde constat Donatum malarum fontem fuisse causarum.

Quicquid itaque in unitate facienda aspere potuit geri, uides, frater Parmeniane, cui debeat inputari. a nobis catholicis petitum militem esse dicitis; si ita est, quare in prouincia. proconsulari tunc nullus armatum militem uidit? ueniebant Paulus et Macarius, qui pauperes ubique dispungerent et ad unitatem singulos hortarentur; et cum ad Bagaiensem ciuitatem proximarent, tunc alter Donatus, sicut supra diximus, eiusdem ciuitatis episcopus, inpedimentum unitati et obicem uenientibus supra memoratis obponere cupiens praecones per uicina loca et per omnes nundinas misit, circumcelliones agonisticos nuncupans, ad praedictum locum at concurrerent inuitauit; et eorum illo tempore concursus est flagitatus, quorum dementia paulo ante ab ipsis episcopis inpie uidebatur esse succensa. nam cum huiusmodi hominum genus ante unitatem per loca singula uagarentur, cum Axido et Fasir ab ipsis insanientibus sanctorum duces appellarentur, nulli licuit securum esse in possessionibus suis; debitorum chirographa amiserant uires, nullus creditor illo tempore exigendi habuit libertatem, terrebantur omnes litteris eorum, qui se sanctorum duces fuisse iactabant, et si in obtemperando eorum iussionibus tardaretur, aduolabat subito multitudo insana et praecedente terrore creditores periculis uallabantur, ut qui pro praestitis suis rogari meruerant, metu mortis humiles inpellerentur in preces. festinabat unusquisque debita etiam maxima perdere et lucrum conputabatur euasisse ab eorum iniuriis, etiam itinera non poterant esse tutissima, quod domini de uehiculis suis excussi ante mancipia sua dominorum locis sedentia seruiliter cucurrerunt. illorum iudicio et imperio inter dominos et seruos condicio mutabatur. unde cum uestrae partis episcopis tunc inuidia fieret, Taurino tunc comiti scripsisse dicuntur huiusmodi homines in ecclesia corrigi non posse; mandauerunt, ut a supra dicto comite acciperent disciplinam. tunc Taurinus ad eorum litteras ire militem iussit armatum per nundinas, ubi circumcellionum furor uagari consueuerat. in loco Octauensi occisi sunt plurimi et detruncati sunt multi,. quorum corpora usque in hodiernum per dealbatas aras aut mensas potuerunt numerari. ex quorum numero cum aliqui in basilicis sepeliri coepissent, Clarus presbyter in loco Subbulensi ab episcopo suo coactus est, ut insepultam faceret sepulturam. unde proditum est mandatum fuisse fieri, quod factum est, quando nec sepnltura in domo dei exhiberi concessa est. eorum postea conualuerat multitudo. sic inuenit Donatus Bagaiensis, unde contra Macarium furiosam conduceret turbam. ex ipso genere fuerant, qui sibi percussores sub cupiditate falsi martyrii in suam perniciem conducebant. inde etiam illi, qui ex altorum montium cacuminibus uiles animas proicientes se praecipites dabant. ecce ex quali numero sibi episcopus alter Donatus cohortes effecerat! hoc metu deterriti illi, qui thesauros ferebant, quos pauperibus erogarent, inuenerunt in tanta necessitate consilium, ut a Siluestro comite armatum militem postularent, non per quem alicui uim facerent, sed ut uim a Donato supra memorato episcopo dispositam prohiberent. hac ratione factum est, ut miles uideretur armatus. iam quicquid subsecutum est, uidete, cui debeat aut possit adscribi. habebant illic uocatorum infinitam turbam et annonam conpetentem constat fuisse praeparatam; de basilica quasi publica fecerant horrea expectantes, ut uenirent, in quos furorem suum exercere

potuissent; et facerent, quicquid illis dementia sua dictasset, nisi praesentia armati militis obstitisset. nam cum ante uenturos milites metatores, ut fieri adsolet, mitterentur, contra apostoli praecepta conpetenter suscepti non sunt, qui ait: cui honorem, honorem, cui uectigal, uectigal, cui tributum, tributum; nemini quicquam debueritis. qui missi fuerant cum equis suis, contusi sunt, missi ab his, quorum nomina flabello inuidiae uentilasti. ipsi magistri fuerunt iniuriae suae, et quid pati possent, ipsi praerogatis iniuriis docuerunt. reuerterunt uexati milites ad numeros suos, et quod duo uel tres passi fuerant, uniuersi doluerunt. commoti sunt omnes, iratos milites retinere nec eorum praepositi ualuerunt. sic admissum est, quod in inuidiam unitati factum esse memorasti; haec et cetera uestra et suas causas habent et quas ostendi personas obnoxias. hoc nos nec uidimus quidem sed uobiscum audiuimus. si auditus facit reos, tenemus uos socios, quia similiter audistis; si a facto auditus inmunis est, quod ab aliis uobis prouocantibus factum est, nobis non debet inputari. querelam per ordinem deponitis sub Leontio, sub Ursacio iniuriatos esse quam plurimos, sub Paulo et Macario aliquos necatos, a sequentibus eorum nescio quos ad tempus esse proscriptos. quid hoc ad nos, quid ad ecclesiam catholicam pertinet? quicquid obiecistis, uos fecistis, qui pacem a deo commendatam noluistis libenter excipere cariorem aestimantes hereditatem scismatis quam praecepta proposita saluatoris. arguistis operarios unitatis: ipsam unitatem inprobate, si potestis! nam aestimo uos non negare unitatem summum bonum esse. quid nostra, quales fuerint operarii, dummodo quod operatum est, bonum esse constet? nam et uinum a peccatoribus operariis et calcatur et premitur et sic inde deo sacrificium offertur; oleum quoque a sordidis et nonnullis male uiuentibus et inmunda loquentibus conficitur et tamen in sapore, in lumine, etiam in sancto chrismate simpliciter erogatur.

Operarios unitatis malos fuisse dicitis; forte cum uoluntate dei, cui nonnumquam placet etiam, quod ab ipso potuit prohiberi. nam quaedam mala male fiunt, quaedam mala bene fiunt. malum male latro facit, malum bene iudex facit, dum uindicat, quod latro peccauit. nam haec dei uox est: non occides, et ipsius uox est: si inuentus fuerit homo dormiens cum muliere habente maritum, occidetis utrosque. unus deus et duae diuersae uoces. denique cum Phinees, filius sacerdotis, adulterum cum adultera inueniret, leuauit cum gladio manum et inter duas uoces dei dubius stetit. hinc ad illum sonabat: non occides, inde sonabat: occidetis utrosque. si feriret, peccaret; si non feriret, delinqueret. elegit melius peccatum, ut percuteret. et forte non defuerant, qui huius rei uindicem quasi homicidam notare uoluissent. sed ut ostenderet deus aliqua mala bene fieri, locutus est dicens : Phinees mitigauit iram meam. et placuit deo homicidium, quia uindicatum est adulterium. quid? si et modo deo placuit, quod passos uos esse dicitis, qui unitatem cum toto orbe terrarum et cum memoriis apostolorum, quae deo placita est, habere noluistis?

Inuitus cogor hoc loco etiam illorum, quorum nolo, hominum facere mentionem, quos uos inter martyres ponitis, per quos tamquam per unicam religionem uestrae communionis homines iurant. quos quidem uellem silentio praeterire, sed ratio ueritatis se sileri non patitur, et ex ipsis nominibus contra unitatem inconsiderate rabida latrat inuidia et aspernantes aliqui accusandam aut fugiendam aestimant unitatem, quod Marculus et Donatus

dicantur occisi et mortui. quasi omnino in uindictam dei nullus mereatur occidi! nemo erat laedendus ab operariis unitatis, sed nec ab episcopis mandata diuina contemni debuerant, quibus praeceptum est: quaere pacem et consequeris eam, et iterum: quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum, et iterum: felices pacifici, quia ipsi filii dei uocabuntur. hoc qui nec libenter uolebant audire nec deuote facere uoluerunt, quicquid potuerunt pati, si occidi malum est, mali sui ipsi sunt causa.

Sed arguendus, ut dicitis, uobis uidetur esse Macarius, quod sine uoluntate dei aestimatis eum hoc facere potuisse. habetis huiusmodi reos antiquos: accusate primo Moysen ipsum legislatorem, qui cum de Sina monte descenderet, prope necdum propositis tabulis legis, in quibus scriptum erat: non occides, tria milia hominum uno momento iussit occidi. Macarium differte paulisper, Phineem, filium sacerdotis, quem paulo ante memoraui, primo in iudicium prouocate : si tamen inueneritis praeter deum aliquem iudicem. nam quod accusatis in persona ipsius, a deo laudatum est, quod in zelo dei factum est. subprimite interim uoces, quas in Macarium dictat inuidia. recurrite primo ad Heliam prophetam, qui in riuo Cison, cum pareret uoluntati dei, quinquaginta et quadringentos occidit. sed forte dicatis illos merito occisos, istos indigne: nunquam sequitur uindicta, nisi eius antecesserit causa. uindicauit, ut diximus, Moyses, uindicauit Helias, uindicauit Phinees; et non uultis, ut uindicauerit Macarius. si nihil offenderant, qui occisi esse dicuntur, sit Macarius reus in eo, quod solus nobis nescientibus, sed uobis prouocantibus fecit: quare nobis fit inuidia, cum aliena sint facta? et in uobis est causa, quia propter uos, qui foris fuistis, quamquam et nunc foris esse uideamini, euenisse dicitur, non propter nos, qui intus habitamus et nunquam de radice recessimus. sed quia supra memoratorum personas per ordinem diximus, uideamus, quare Moyses tria milia hominum iussit occidi, quare Phinees duo et quare Helias quadringentos et quinquaginta, quare Macarius duos, quorum nomina - cotidie, ut supra dixi, flabello inuidiae uentilatis. constat in eos uindicasse, a quibus iussio diuina contempta est. nam: non tibi facies sculptile dei uox est et: non facies adulterium eiusdem dei uox est; non sacrificabis idolis idem deus locutus est et: non facies scisma et: quaere pacem et consequeris eam eiusdem dei praeceptum est. temporibus Moysi populus Israhel caput uituli coluit, quod illis sacrilega flamma conflauit; ideo tria milia hominum occidi meruerunt, quia dei uox uidebatur esse contempta. Phinees adulteros uno ictu percussit: laudari a deo meruit, quoniam diuinorum praeceptorum contemptores occidit. et quadringentos et quinquaginta, quos Helias occidisse legitur, ideo occisi sunt, quia contra iussionem dei, per quod falsi uates erant, dei praecepta contempserant. et illi, quorum nominibus Macarium criminatis, nec a falsis uatibus longe sunt; quia uos deus dixit futuros esse falsos uates, quod proximo loco probaturi sumus; et dum pacem noluerunt respicere, ne in uno cum fratribus habitarent, contra praecepta et contra uoluntatem dei pertinaciter obstiterunt. ergo uidetis a Moyse et Phinee et Helia et Macario similia esse facta, quia ab omnibus unius dei praecepta sunt uindicata. sed uideo uos hoc loco tempora separantes. ut alia fuerint tempora ante euangelium, alia post euangelium; in quo potestis dicere, quia scriptum est, ut a Petro iam gladius conderetur, quo auriculam serui sacerdotis abstulerat, quem seruum potuerat quasi deuotus Petrus occidere. sed Christus pati uenerat, non de-

fendi; et si cogitatum suum Petrus inpleret, in passione Christi uideretur seruus uindicari, non populus liberari.

Nam et Macarius gladium a Petro uagina conditum non eduxit — hoc probat deus, dum ad uallem Sion loquitur dicens: uulnerati in te, non uulnerati gladio — aut probate aliquem illo tempore gladio esse percussum. deinde ait: mortui in te, non mortui in bello. quare debetis adtendere, ne temerarium sit eos martyres appellare, qui christianorum nullum senserint bellum. non enim tale aliquid factum aut auditum est, quod in bello christianorum dici aut fieri, solitum est, quod bellum persecutio dicitur, quae operata est sub duabus bestiis ex illis quattuor, quas Daniel de mari ascendentes aspexit. prima fuit ut leo: haec erat persecutio sub Decio et Ualeriano; secunda ut ursus: alia persecutio, quae fuit sub Diocletiano et Maximiano, quo tempore fuerunt et inpii iudices bellum christiano nomini inferentes, ex quibus in prouincia proconsulari ante annos sexaginta et quod excurrit n. fuerat Anulinus, in Numidia Florus. omnibus notum est, quid eorum operata sit artificiosa crudelitas: saeuiebat bellum christianis indictum, in templis daemoni???rum diabolus triumphabat, inmundis fumabant arae nidoribus, et quia ad sacra sacrilega uenire non poterant, ubicumque tus ponere cogebantur. omnis locus templum erat ad scelus, inquinabantur prope morientes senes, ignorans polluebatur infantia, a matribus paruuli portabantur ad nefas, parentes incruenta parricidia facere cogebantur, alii cogebantur templa dei uiui subuertere, alii Christum negare, alii leges diuinas incendere, alii tura ponere. horum aliquid a Macario factum esse nec uos ipsi confingere poteritis. sub persecutore Floro christiani idolorum cogebantur ad templa; sub Macario pigri conpellebantur ad basilicam. sub Floro dicebatur, ut negaretur Christus et idola rogarentur; contra sub Macario commonebantur omnes, ut deus unus pariter in ecclesia ab omnibus rogaretur. ergo cum uideatis christianorum nullum fuisse bellum — et sine bello aliquos mortuos esse commemorat deus, cum dicit: et mortui in te, non mortui in bello — et dubios martyres posse eos esse, qui non sint uel ad sacra sacrilega prouocati uel ad inmunda incensa uel ad negationem nominis dei, et cum ad martyrium non sit transitus nisi per confessionem, quomodo dicitis martyres, qui non fuerunt confessores, aut quis eorum negare coactus est et confessus est Christum? si igitur nec martyrium sine Christi nominis confessione esse potest et nemo confessus est et in uindicta praeceptorum dei factum est, quod factum esse dicitis, et a nobis factum esse aliquid non probatis, cum id, quod factum est, et deus dixerit sic futurum esse et eius sunt uindicata praecepta: uidete, ne non solum uanum sed etiam superstitiosum sit sine bello mortuos ibi ponere, ubi sunt, qui in Christum confessi pro dei nomine mori potuerunt. aut si eos martyres esse uultis, probate illos amasse pacem, in qua prima sunt fundamenta martyrii, aut dilexisse deo placitam unitatem, aut habuisse cum fratribus caritatem. nam omnes christianos fratres esse et in primo libello probauimus et in quarto procul dubio probaturi sumus. quos dicitis debere appellari martyres, noluerunt fratres agnoscere, nullam habuerunt caritatem. nec dicatur ad excusationem, quia traditoribus communicare noluerunt, cum manifestissime probatum sit eosdem ipsos filios fuisse traditorum. nulla igitur est excusatio, quia caritatem illos non habuisse manifestissime constat, sine qua nullum nec nominari potest uel esse martyrium, sine qua maxima et imperiosa uirtus caret effectu, sine qua nihil ualet omnium scientia lin-

guarum, sine qua nihil potest etiam societas angelorum apostolo Paulo dicente: si habeam in me potestatem imperandi montibus, ut transferant se de locis in loca, et loquar omnium gentium linguis, etiam angelorum et corpus meum flammis tradam et caritatem in me non habeam, nihil sum; sed ero aeramentum tinniens in deserto, ut pereat uocis opus, ubi nullus occurrit auditus. si tanta res, si beatus Paulus, si uas electionis quamuis in imperiosa uirtute et angelorum societate pronuntiat se nihil esse, nisi caritatem habuerit, uidete, an non dicantur martyres sed aliquid [aliud] appellari mereantur, qui caritatis desertores pro eadem desertione pati aliquid potuerunt.

Gaudet totus orbis de unitate catholica praeter partem Africae, in qua incendium de scintilla conflatum est. ab operariis unitatis querimini nescio quae esse commissa. hoc non queritur Italia, non Gallia, non Hispania, non Pannonia, non Galatia, non Graecia, non cum tot prouinciis suis Asia. quia nihil illic fuerat emendandum, nullus illuc missus est emendator, quia nihil illic fuerat scissum, nullus illuc missus, ut ita dixerim, sartor. et hic in Africa iamdudum populo in unitate manente uestis fuerat sana, aemula manu inimici discissa est. pendebant quodammodo panni de una uestis origine et de una radice uenientes ab inuicem diuisi sunt rami. ut quid se pars parti anteponit? ut quid se super alterum pannum alter pannus extollit, cum meliorem se probare non poterit? quid enim? si dicat contemptus pannus: \'quid te tantum extollis? nonne pares creuimus, in manibus conficientium simul fuimus, apud lotorem pariter mundati sumus? inimicus nos uoluit ab inuicem excidere, aduersarius pulchritudinem nostram uoluit deformare.\' in parte uestis adhuc unum sumus, sed in diuersa pendemus. quod enim scissum est, ex parte diuisum est, non ex toto, cum constet merito, quia nobis et uobis ecclesiastica una est conuersatio, et si hominum litigant mentes, non litigant sacramenta. denique possumus et nos dicere: \'pares credimus et uno sigillo signati sumus nec aliter baptizati quam uos, testamentum diuinum pariter legimus, unum deum pariter rogamus, oratio dominica apud nos et apud uos una est. sed scissa, ut supra diximus, parte partibus hinc atque inde pendentibus sartura fuerat necessaria.\' et tamen huius rei artifex aut operarius dum uult uestem in antiquam faciem reuocare, uicina fila conpungit. displicet tibi sartor, qui scissuram dam sanat, uulnerat; ille tibi [magis] displiceat, qui fecit, ut sartor peccare potuisset. et quae in uos ab operariis unitatis dicitis esse commissa, aut ad parentes uestros pertinent, quorum causa facta sunt, aut ex uoluntate dei descendunt; nos autem inde alieni sumus.

Quid? si quamuis aspera, tamen, ut diximus, cum uoluntate dei uidentur esse commissa? legimus enim in Ezechiele propheta parietem dealbatum. cui deus comminatus est tempestatem, pluuiam et lapides petrobolos et accusationes: erunt, inquit, falsi uates, qui aedificent ruinosum parietem dicentes: pax, pax; et ubi pax? recordamini, quomodo a uobis iamdudum matris ecclesiae membra ab inuicem distracta sunt. non enim unamquamque domum semel seducere potuistis. aut abiit uxor et resedit maritus, aut parentes seducti sunt et filii sequi noluerunt, aut stetit frater sorore migrante. persuasionibus uestris diuisa sunt et corpora et nomina pietatis et non potuistis praetermittere, quod legitimum est. utique dixistis: \'pax uobiscum,\' cum deus contra: pax, et ubi pax? hoc est dicere: quid salutas, de quo non habes ? quid nominas, quod exterminasti ? salutas de pace, qui non

amas pacem. hi, inquit, aedificant ruinosum parietem. domus dei una est; qui foras exeuntes partem facere uoluerunt, parietem fecerunt, non domum, quia non est alter deus, qui alteram domum inhabitet. ideo parietem fecisse dicuntur falsi uates, in - quo si ianua fuerit conlocata, quicumque intrauerit, foris est. nec lapidem habere angularem unus paries potest, qui lapis est Christus duos in se suscipiens populos, unum de gentibus, alterum de Iudaeis, qui nodo pacis iungit utrumque parietem. nam quot commoda habet domus, tot incommoda paries: domus inclusa custodit, tempestatem retundit, pluuiam diffundit, latronem aut furem aut bestiam non admittit; sic et ecclesia catholica omnes filios pacis gremio et sinu suo conplectitur; contra paries, qui est aedificatus ruinosus, nec lapidem angularem sustinet et ianuam sine causa habet nec inclusa eustodit, pluuia udatur, tempestatibus caeditur nec potest arcere latronem nec uenientem prohibet furem. paries de domo est, sed domus non est; et pars uestra quasi ecclesia est, sed catholica non est. et dealbant, inquit, eum, hoc est quod uos solos sanctos aestimatis. querimini uos sine nobis aliqua esse passos; ergo constat uos solos aliqua passos, quia aliud est tempus pacis, aliud tempus persecutiouis. si persecutionem putatis, dicite, quid uobiscum passae sint uniuersae prouinciae, in quibus ecclesia catholica est constituta? sed quia uindicta fuit, non persecutio, solus paries passus est, cui deus interminatus est tempestatem, pluuiam et petrobolos et accusationes. sic enim locutus est: quid aedificastis ruinam? quid dealbastis? quid linistis? hoc contra uoluntatem meam est, dicit dominus. displicent uobis tempora nescio cuius Leontii, Ursacii, Macarii et ceterorum. emendate uoluntatem dei, si potestis, qui dixit: contra parietem exurgam cum ira mea et inmittam tempestatem nimiam et pluuiam, diluuia et lapides petrobolos et percutiam parietem ruinosum et dissoluentur conpagines eius. sed ne quis uestrum dicat: si unitas bonum est, quare totiens facta durare non potuit ? ideo, quia sic res ipsa a deo est ordinata, qui comminatus est tempestatem, pluuiam, lapides et accusationes, et istae quattuor res non poterant uno tempore fieri. fuit primo tempestas sub Ursacio: agitatus est paries, sed non cecidit, ut haberet pluuia, ubi operaretur. secuta est pluuia sub Gregorio: udatus est paries, sed non maduit, ut haberent lapides, ubi operarentur. post pluuiam seeuti sunt lapides sub operariis unitatis: dispersus est paries, sed de fundamentis suis se iterum reparauit. iam tria peracta sunt: debentur uobis accusationes, sed quomodo et quando, nouit ille, cui placuit de nobis ista nuntiare.

Et ne aliquis de hoc intellectu dubitaret, deus addidit dicens: non sunt, quae dico, de luto aut de latere aut de pariete, sed de falsis prophetis, qui seducunt populum meum. hoc uerbum \'seducunt\' uidete, cui parti conpetat. nobiscum erant omnes, nobis absentibus inruistis; sed ut haberetis, quos habere desiderastis, non potuistis nisi seducere, et quae sint uerba seductionis uestrae, omnibus notum est. uestrum est dicere: \'adtendite post uos\', uestrum est dicere: \'redimite animas uestras\', uestrum est dicere hominibus fidelibus et clericis: \'estote christiani\'. sed cum dicitis: \'adtendite post uos,\' contra euangelium facitis, ubi dictum est: nemo tenens manicam aratri post se adtendens intrabit regna caelorum. et uultis scire, quid meruit, qui post se adtendit et qui ante se? recordamini Sodomorum fugitiuos, Loth et uxorem eius: quae post se adtendens in statuam salis mutata est, qui ante [se] prospexit, euasit. quid est ergo, quod dicitis: \'adtendite post uos T nam et cum dici-

tis: \'redimite animas uestras\', unde illas emistis, ut uendatis? quis est ille nescio quis angelus, qui nundinas facit animarum? cum dicitis: \'redimite animas uestras,\' redemptori renuntiatis, cum solus Christus sit redemptor animarum, quas ante eius aduentum diabolus possidebat. has sanguine suo Christus saluator noster redemit apostolo dicente: empti enim estis pretio magno. constat enim sanguine Christi omnes redemptos. Christus non uendidit, quos redemit, animae emptae a Christo non potuerunt uendi, ut possint, sicut uultis, a uobis iterum redimi. aut quomodo potest una anima duos dominos habere ? aut numquid est alter redemptor? qui prophetae nuntiauerunt alterum esse uenturum? quis Gabriel iterum ad alteram Mariam locutus est? quae uirgo iterum peperit? quis uirtutes nouas aut alteras fecit? si nullus est praeter unum, qui redemit animas omnium credentium, quid est, quod dicitis: \'redimite animas uestras?\' iam illud quale est, quod hominibus christianis, etiam clericis dicitis: \'estote christiani ?\' et cum miraculo quodam unicuique audetis dicere: \'Gai Sei, Gaia Seia, adhuc paganus es aut pagana?\' eum, qui ad deum se conuersum esse professus est, paganum uocas, eum, qui uel a nobis uel a nobis non in nomine nostro nec uestro sed in nomine Christi tinctus est, paganum uocas — sunt enim, qui et a uobis baptizati sunt et ad nostram communionem postea transierunt — eum, qui deum patrem per filium eius. ante aram rogauerit, paganum uocas. quicumque enim crediderit, in nomine patris et filii et spiritus sancti credidit, et tu eum paganum uocas post professionem fidei. si aliquis christianus, quod absit, deliquerit, peccator dici potest, paganus iterum esse non potest. sed haec omnia uultis nullius esse momenti; ac si tibi consenserit, quem seducis, unus consensus et manus tuae porrectio et pauca uerba iam tibi christianum faciunt de christiano, et ille uobis uidetur christianus, qui quod uultis fecerit, non quem fides adduxerit.

Et si seductioni uestrae paulo tardius fuerit adcommodatus adsensus, etiam illa uobis argumenta non desunt, quibus quasi facile etiam nolentibus, quod uultis, suadere possitis, dum dicitis auditum esse ex ore eorum, qui iamdudum in uestro collegio fuerant, quod, qui gustaret aut acciperet de sacrificio aduentantis unitatis, de sacro gustare uideretur. non negamus ab aliquibus esse haec dicta, quos constat postea tota securitate fecisse, unde paulo ante populos deterrebant. sed alia ratio exegit has uoces, alia inuitauit in factum. nam ut haec dicerent, qui feruntur ista dixisse, opinio falsa eorum aures et omnium populorum conpleuerat. dicebatur enim illo tempore uenturos esse Paulum et Macarium, qui interessent sacrificio, ut, cum altaria solemniter aptarentur, proferrent illi imaginem, quam primo in altare ponerent, et sic sacrificium offerretur. hoc cum acciperent aures, percussi sunt et animi et uniuscuiusque lingua in haec uerba commota est, ut omnis, qui haec audierat, diceret: \'qui inde gustat, de sacro gustat\'. et recte dictum erat, si talem famam similis ueritas sequeretur. at ubi uentum est a supradictis, nihil tale uisum est ex eo, quod fuerat paulo ante fama mentita: nihil uiderunt christiani oculi, quod horrerent, nihil probauit aspectus ex his, quibus perturbatus erat auditus. uisa est puritas et ritu solito solemnis consuetudo perspecta est, cum uiderent diuinis sacrificiis nec mutatum quicquam nec additum nec ablatum. pax a deo commendata uolentibus placuit; quare nullus eorum debet argui, qui de collegio uestro ad pacem transitum fecit. qui fuerant sinistra opinione tur-

bati, simplici ac pura ueritate firmati sunt. nec dicatur de amaro fecisse dulce aut de dulci amarum. amaritudo, quae de falsitate uidebatur fuisse nuntiata, in sinu opinionis resedit ac remansit; ueritas perspecta oculis dulcedinem suam in se habens a falsae opinionis limitibus separata est. ergo nec de amaro factum est dulce nec de dulci amarum, quia et aliud et extra est, quod est uisum, et longe fuerat, quod uidebatur auditum. quare uides te sine causa fecisse conuicium fingens pro arbitrio, quod uoluisti, ut Macarium et Taurinum lacerares. perdidisti, quod sapiens uideris, dum sensus tuos inuidia deprauauit et intellegendi tibi aditus clausit.

Liber Qvartus

A te nobis, frater Parmeniane, de petito milite frustra calumniam factam esse aperte dilucideque monstratum est. etiam illud disce, quod dixisti de oleo et sacrificio peccatoris, ad uos potius pertinere. non enim ille debet esse peccator, quem uos uolueritis. nam et nos uestram praesumptionem possumus imitari et dicere uos esse peccatores. sed facessat ex utraque parte praesumptio: nullus nostrum humano iudicio alterum damnet. dei est nosse reum, illius ferre sententiam. taceamus omnes homines, solus deus indicet peccatorem, cuius sacrificium sit canina uictima et cuius oleum ungi desideranti. ingerat metum.

Huius rei apertissimam ueritatem, Parmeniane frater, agnosce. si tamen hoc nomen fraternitatis frequenter a me dictum libenter audire dignaris, fac, ut tibi sit fastidiosum, tamen nobis est necessarium, ne forte iuxta probationem huius nominis tacendo rei esse uideamur. si enim tu non uis esse frater, ego esse incipio inpius, si de nomine isto tacuero. estis enim fratres nostri et nos uestri propheta dicente: nonne uos unus deus creauit et unus pater genuit? non enim potestis non esse fratres, cum omnibus dictum sit: dii estis et filii altissimi omnes. et nos et uos unum praeceptum accepimus, in quo dictum est: ne uocetis uobis quemquam patrem in terris, quia unus est pater uester in caelis. saluator noster Christus solus natus est filius dei; sed et nos et uos filii dei uno modo facti sumus, sicut in euangelio scriptum est: uenit filius dei: quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem, ut filii dei fierent, qui credunt in nomine eius. nos et facti sumus et dicimur, uos et facti estis et non dicimini, quia pacifici esse non uultis nec audire ipsum filium dei dicentem: felices pacifici, quia ipsi filii dei uocabuntur. Christus ueniens deum et hominem reuocauit in pacem: et fecit ambos unum tollens medium saepem parietis. uos nobiscum, id est cum fratribus pacem habere non uultis. non enim potestis non esse fratres, quos isdem sacramentorum uisceribus una mater ecclesia genuit, quos eodem modo adoptiuos filios deus pater excepit. unde huius temporis praescius Christus, quia futurum erat, ut a nobis hodie discordaretis, talia dedit orandi mandata, ut uel in oratione unitas remansisset, ut iungerent preces, quos discrepaturae fuerant partes. oramus pro uobis, quia uolumus, et uos pro nobis, et cum non uultis. aut dicat unusquisque uestrum: \'pater meus, qui in caelis as\', et \'panem meum cotidianum da mihi hodie\', et \'dimitte mihi peccata, quomodo et ego debitori meo\'. igitur si quae mandata sunt, mutari non possunt, uidetis nos non in totum ab inuicem esse separatos, dum et nos pro uobis oramus •- uolentes et uos pro nobis oratis etsi nolentes. uides, frater Parmeniane, sanctae germanitatis uincula inter nos et uos in totum rumpi non posse.

Iam peccator quaerendus est, cuius potuit uel oleum timeri uel sacrificium repudiari. cesset humana suspicio., utriusque partis praesumptio sileat; quis sit peccator, solus indicet deus. legimus in XLVIIII psalmo sub secundo diapsalmate spiritum sanctum dixisse: peccatori autem dixit deus. hoc loco aduertenda est tota mentis intentio et uidendum, quis sit peccator. si enim post quod lectum est: peccatori autem dixit deus, uerba huiusmodi sequerentur, ut diceret: \'tulisti arma, proiecisti te castris, stetisti contra hostes in acie\', timendum erat militi, quia potuit ipse uideri peccator. aut si diceret: \'conparasti merces, peregrinatus es, egisti nundinas, lucri causa quod emeras, uendidisti\', timendum erat negotiatori, quia potuit ipse uideri peccator. aut si diceret: \'fabricasti nauem, struxisti funibus, ornasti uelis, opportunos, ut nauigares, captasti uentos\', timendum erat nautae, quia potuit ipse uideri peccator. aut post quod lectum est: peccatori autem dixit deus, si sequerentur haec uerba: \'dissensio et scisma tibi displicuit, concordasti cum fratre tuo et cum una ecclesia, quae est in toto orbe terrarum, communicasti septem ecclesiis et memoriis apostolorum, amplexus es unitatem\', si haec subsequens lectio con-tineret, nobis timendum erat, nos esse potuimus peccatores. cum autem dicit deus: ad quid exponis iustitias meas et adsumis testamentum meum per os tuum? tu autem contempsisti disciplinam et abiecisti sermones. meos retro; sedens aduersus fratrem tuum denotabas et aduersus filium matris tuae ponebas scandalum. uidebas furem et currebas cum eo et cum adulteris portionem tuam ponebas. haec ad uos dicta sunt omnia. excusate uos ab his omnibus, si potestis.

A uobis enim contempta est disciplina; ut quid recitas testamentum, qui testamento non seruis, in quo descripta est disciplina, quam seruare non uultis? non enim potestis dicere uos eam seruare, contra quam militatis. deus dicit: quaere pacem et consequeris eam; tu repudiasti pacem: non est contemnere disciplinam? in euangelio legitur: pax hominibus in terra bonae uoluntatis; tu nec uoluntatem bonam uis habere nec pacem: non est contemnere disciplinam? item in psalmo CXXXII legitur: ecce quam bonum est et iucundum habitare fratres in unum; in unum habitare cum fratribus non uis: non est contemnere disciplinam? Christus dicit in euangelio: qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lauandi; tu rebaptizando iterum lauas: non est contemnere disciplinam? deus dicit: ne tetigeritis christos meos neque in prophetas meos manum miseritis; uos tot sacerdotes dei honoribus expoliastis: non est contemnere disciplinam? Christus dicit: inde scio, quia discipuli mei estis, si uos inuicem diligatis; odio nos habetis, fratres utique uestros, nec apostolos imitari uoluistis, a quibus etiam negator dilectus est Petrus: non est contemnere disciplinam? exponis iustificationes dei et adsumis testamentum eius per os tuum. quomodo disputas: quaere pacem, cum non habeas pacem? quomodo testamentum recitas et testamentum non seruas, in quo descripta est disciplina?

Electi estis, qui sedentes populum doceatis, et detrahitis nobis utique fratribus uestris. quoniam, sicut supra dixi, una nos mater ecclesia genuit, unus nos deus pater excepit, et tamen scandala contra nos ponitis mandando singulis, ne nos salutent, ne a nobis dignationem accipiant. considerate uerba superbiae uestrae, considerate tractatus, considerate mandata, actus quoque uestros reuoluite et inuenietis oleum uestrum timuisse, qui rogabat. nullus uestrum est, qui non conuicia nostra suis tractatibus misceat, qui non aut aliud initiet aut

aliud explicet. lectiones dominicas incipitis. et tractatus uestros ad nostras iniurias explicatis; profertis euangelium et facitis absenti fratri conuicium; auditorum animis infunditis odia, inimicitias docendo suadetis, haec omnia dicendo contra nos scandala ponitis. ergo unicuique. uestrum dictum est: sedens aduersus fratrem tuum denotabas et aduersus filium matris tuae ponebas scandalum. dum peccatorem arguit et sedentem increpat deus, specialiter ad uos dictum esse constat, non ad populum, qui in ecclesia non habent sedendi licentiam. uides ergo procul dubio uobis inputari debere, cum dicit deus: sedens aduersus filium matris tuae ponebas scandala. unam matrem nos habere iam totiens conprobaui nec uos negare potestis qui contra nos scandala ponitis, dum aliqui uestrum et non intellectas proferunt -lectiones, ut auferant etiam illud, quod inter omnes solet esse commune, salutationis uidelicet officium. nam et uos ipsi aliqui in perfunctoria salutatione oscula denegatis solita et docentur multi, ne aue dicant cuiquam nostrum, et uidentur sibi hoc de lectione, sed non intellecta mandari ignorantes, de quibus apostolus hoc diierit: cum his nec cibum capere; aue illi ne dixeritis; serpit enim eorum sermo uelut cancer. dixit hoc de haereticis, quorum coeperat illis temporibus uitiosa esse doctrina, qui subtili seductione uerborum morbis obscure serpentibus corrumperent fidei sanitatem: ut Marcion, qui ex episcopo apostata factus inducebat duos deos et duos Christos, ut Praxeas, qui argumentabatur patrem passum esse, non filium, ut Ualentinus, qui conabatur carnem Christo subducere. • horum est sermo, qui habuit cancer ad fidei membra uexanda. talis sermo est et Scorpiani haeretici, qui negabat debere esse martyria. sed uenena sua sibi seruent nec eorum relatio auditorum intellectus simplices uel leuiter uexet. huius igitur sermo est, qui uitandus est, ne serpat sicut cancer. dictum est hoc et de Ario, qui conabatur docere filium dei ex nullis substantiis factum esse, non ex deo natum; cuius doctrina, nisi in Nicaeno concilio a trecentis decem et octo episcopis dissiparetur, pectora multorum sicuti cancer intrauerat. dictum est hoc de Photino praesentis temporis haeretico, qui filium . dei ausus est dicere tantummodo hominem fuisse, non deum. potuit hoc et de nobis dici, quia uester sermo animis et auribus aliquorum non leue intulit cancer. uester enim sermo est, quem ad pacis filios habetis, dum dicitis: \'peristis, adtendite post uos; peribit anima uestra; quamdiu uos tenetis?\' sic fecistis de fidelibus paenitentes, sic mortificastis in sacerdotibus honores. ecce et uester sermo est, qui serpit uelut cancer hodie, ut salutatio et conuictus prohibeatur. noster sermo quid tale facere potuit, qui simplici doctrina filios pacis retinemus, non alienos seducimus nec quemquam exterminamus? manifestum est igitur uos contra nos cotidie scandala ponere et longum est percurrere omnes modos, quibus nobis detrahitis, et omnia genera, quibus scandala ponitis.

Nam et cum dicit: uidebas furem et concurrebas cum eo, de qua re hoc putatis dictum esse? numquid de subducto uestimento aut de inuolato gremio aut de aliquibus rebus, quae ablatae uel lucra uel damna inter homines faciunt? equidem sunt et ista prohibita; sed in hac lectione illa furta increpat deus, quae sibi sunt facta. quaeritis, quae furta sunt deo facta? apud uos inueniuntur. possessio dei est turba fidelium, ex qua cotidie fur diabolus cupit aliquid inuolare, qui christiani aut christianae uult uel mores ex aliqua parte corrumpere et si non totum hominem sed quodcumque de homine rapere. talem furem cum uideatis

contra nos uim facere, uestris operibus adiuuistis; nam neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamuis de parentibus christianis nascatur, sine spiritu inmundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lauacrum ab homine excludi et separari. hoc exorcismus operatur, per quem spiritus inmundus depellitur et in loca deserta fugatur. fit domus uacua in pectore credentis, fit domus munda; intrat deus et habitat apostolo dicente: uos estis templum dei et in » uobis deus habitat. et cum deo unusquisque plenus sit, de quo fur diabolus aliquid inuolare contendit, uos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem et dicitis deo habitanti: \'maledicte, exi foras\', ut conpleatur, quod a deo dictum est per Ezechielem prophetam: et maledicebant mihi in populo meo propter plenam manum hordei et buccellam, ut occiderent animas, quas non oportuit mori, dum adnuntiant populo meo uanas seductiones. audit ergo deus iniurias non sibi debitas et huiusmodi habitaculum deserit; et homo, qui deo plenus in ecclesiam intrauerat, egreditur uas inane. diabolus, qui uolebat quasi fur aliquid inuolare, adiutus operibus uestris uidet totum suum factum esse, unde uolebat paululum aliquid tollere. ergo de uobis dixit deus: uidebas furem et concurrebas cum eo. denique in euangelio sic scriptum est: cum autem deus deseruerit hominem, remanet uas inane, spiritus autem inmundus errans per loca deserta ieiunus dicit: domus mea uacua est — hoc est dicere: qui me excluserat, exclusus est - reuertar illuc et habitabo; et adducit secum alios septem saeuiores et habitabit illic et erunt hominis illius peiora nouissima, quam quod fuerunt prima. hoc est: uidebas furem et concurrebas cum eo et cum moechis particulam tuam ponebas. haereticos dicit moechos et moechas ecclesias illorum, quas aspernatur et repudiat Christus in canticis canticorum, quasi dicat: quid mihi conligitis non necessarias? una est dilecta mea, una est sponsa mea, una est columba mea, id est catholica, in qua et uos cum esse possetis, rebaptizando inter moechos particulam habere uoluistis. et quoniam uos esse peccatores diuino testimonio manifestissime conprobatum est, etiam illud ostensum est tua auxilia contra te militasse; in auxilium enim addideras prophetam, in quo lectum est: sacrificium peccatoris, quasi . qui uictimet canem. iam peccatores uos esse, si pudor est ullus, cum dolore cognosce.

Etiam illud disce, cuius uox sit: oleum peccatoris non ungat caput meum. tu enim non intellexisti, cuius haec uox sit, utique Christi, qui necdum unctus fuerat, cum rogaret, ut oleum peccatoris non inquinaret caput eius. haec tu non intellegens dixisti: quia Dauid propheta timuit oleum peccatoris. a Samuele iamdudum perunctus fuerat, qui can-. tabat; non fuit ratio, ut iterum ungeretur, ergo uox est Christi dicentis: oleum peccatoris non ungat caput meum. preces sunt, non iussiones, desideria sunt, non praecepta. nam si iussio esset, diceret: oleum peccatoris non unget caput meum. uox igitur est filii dei iam tunc metuentis oleum peccatoris incurrere, id est cuiusque hominis, quia nemo est sine peccato nisi solus deus. ideo filius eius timuit oleum hominis, quia foedum fuerat, ut deus ab homine ungeretur. ideo deprecatur patrem, ut non ungatur ab homine,. sed ab ipso deo patre. petit ergo filius; uideamus, an consenserit pater. hoc spiritus sanctus indicat et manifestat in psalmo XLIIII, ubi ait ad ipsum filium: unget te dominus deus tuus oleo exultationis aliter a consortibus tuis. consortes fuerant Iudaeorum sacerdotes et reges, quos singulos unctos ab hominibus constat. sed quia filius a patre, deus a deo erat ungendus,

secundum quod filius petiit et spiritus promissa nuntiauit, conpleuit pater in Iordane; quo cum ueniret filius dei, saluator noster, ad Iohannem ostensus est his uerbis: ecce agnus dei, hic est, qui tollit peccata mundi. descendit in aquam, non quia erat, quod in deo mundaretur, sed superuenturum oleum aqua debuit antecedere ad mysteria initianda et ordinanda et inplenda baptismatis ; lotus cum in Iohannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterii et conpleuit pater, quod rogauerat filius et quod nuntiauerat spiritus sanctus. apertum est caelum deo patre ungente, spiritale oleum statim in imagine columbae descendit et insedit capiti eius et perfudit eum: oleum digestum est, unde coepit dici Christus, quando unctus est a deo patre; cui ne manus inposita defuisse uideretur, uox audita est dei de nube dicentis: hic est filius meui, de quo bene sensi, hunc audite. hoc est igitur, quod lectum est: oleum peccatoris non ungat caput meum. rationem ueritatis, frater Parmeniane, uel sero addisce, quoniam nunc tempus est inuenire discendi.

Et illud, quod in Salomone propheta lectum fesse dixisti: filios adulterorum inconsummatos, et spuria uitulamina altas radices dare non posse, hoc et simpliciter dictum esse intellegi potest. unde si figuram facias, ueros adulteros excusasti. sed fac, ut figuraliter dictum sit: hoc de haereticis dictum est, apud quos sunt sacramentorum falsa conubia et iri quorum toris iniquitas inuenitur, ubi in exterminium fidei corrupta sunt semina. dum Ualentinus filium dei in phantasmatis, non in carne fuisse contendit, fidem suam suorumque corrupit. natiuitatis eorum semen exterminatum est, qui non crediderunt filium dei in carne natum de uirgine Maria et passum in carne.

Nam et illud, quod in Hieremia propheta te legisse commemoras, exhorruisse caelum, quod duo maligna fecerit populus dei, ut derelinquerent fontem aquae uiuae et foderent sibi lacus detritos, qui non possent aquam continere: legisti quidem, sed, ut se res habent, intellegere noluisti; studio criminandi ad conuicium catholicorum cuncta conponens multum ad arbitrium tuum declinare conatus es. si enim putas per prophetas sic dicta esse omnia, ut ad tempora nostra pertineant, excusasti Iudaeos, de quibus haec dicta esse constat, qui dimiserunt deum uiuum, deum uerum, deum, qui illis beneficia praestitit, et fecerunt sibi idola, hoc est lacus detritos, qui non possunt aquam continere. in deo perennis maiestas exundat, sicut in fonte aqua largiter fluentibus uenis exuberat: idola uero si non fiant, non sunt, et lacus si non fodiantur, sinus capaces habere non possunt; lacus sine arte et ferramentis cauari non potest nec idolum sine artifice fieri potest. in idolis uirtus naturalis nulla est, sed hominum errore adiungitur et adplicatur; aestimatur in idolo uirtus, quae illic nata non est: lacus est arte detritus, cuius fabrica uexatio est, ut aquam nec de se habeat et acceptam continere non possit; sic et idolum nec de se est aliquid et, dum colitur, nihil est. hoc est, quod dixit deus, duo mala fecisse populum suum, quia dereliquerunt fontem aquae uiuae et effossos ac detritos sibi fecerunt lacus. etenim Iudaeorum populus deseruerat ueram aquam, non nouerat maiestatem dei et idolorum inquinatam sectatus fuerat religionem. hoc est, quod dolet deus, hoc est, quod dicit caelum exhorruisse. nam et per Esaiam prophetam idem dei dolor est, dum in hoc duo testatur elementa, dum dicit: audi, caelum, et percipe auribus, terra: filios generaui et exaltaui, ipsi autem me dereliquerunt. quare non de hac lectione aliquid, frater Parmeniane, dixisti? an quia hic non

est aqua nominata? intellegeris enim studio criminandi sic pulsasse legem, ut, ubicumque aquam scriptam legeris, praestigiis quibusdam ad inuidiam conligeres, et euerriculo quodam malitiae argumentorum intexto ad te omnia, quae sunt bona, traxisti. nam qualis est tuus intellectus in hoc capitulo Hieremiae, cum clamet deus se desertum esse et sic effossos lacus — pro se irascitur, non pro re sua; aqua. enim baptismatis res dei est, non deus — et si putatis desertos esse, quando apud uos fuerunt, qui apud nos baptizati sunt, ut merito uestri desertores ad nos uenire uiderentur? probatum est ergo te non contra nos, sed contra uos dixisse, quod a te dictum est de oleo et sacrificio peccatoris.

Liber Qvintus

Traditores legis qui fuerint et auctores scismatis, in primo libro manifestissimis documentis ostendimus, et apud nos esse unam ueram ecclesiam catholicam secundo monstrauimus; tertio uero probauimus, quae aspere facta esse dicuntur, ad nos minime pertinere et uos magis peccatores esse indicio diuino docuimus. iam de baptismate hoc loco dicendum est; in qua re, quae nunc agitur, quaestio tota consistit, quod baptisma uestra uiolauit audacia, dum id uoluistis iterare, quod semel mandauit Christus esse faciendum. quod nec tu negas, frater Parmeniane, quia in principio tractatus tui multa contra uos pro nobis, quae sunt nostra, dixisti. commemorasti enim in conparatione baptismatis semel factum esse dilunium et unam circumcisionem fuisse ad populum Iudaeorum. et cum haec initio dictionis tuae tractaueris, in processu tractatus tui tamen horum inmemor factus es inducendo duas aquas et argumentis de aqua uera et falsa dicturus principium sermonis tui insipienter praestruens ordinasti; infirmando confirmas sancti baptismatis unionem, de circumcisione Iudaica quasi fundamentum iactare uoluisti, quod baptisma christianorum in Hebraeorum circumcisione fuerat adumbratum; defendisti catholicam, dum inpugnas. etenim in progressu tractatus tui alterum te inanire professus es, ut alterum replere uidereris. extra haereticorum baptisma dum dicis alterum et alterum, licet diuersa ostendere conatus sis, non possis negare, quia duo sunt; ex quibus dum conaris auferre alterum, laborasti, ut de secundo quasi primum facere uidereris. circumcisio autem ante aduentum baptismatis in figura praemissa est et a te tractatum est apud christianos duas esse aquas; ergo et apud Iudaeos duas circumcisiones ostende, alteram meliorem, peiorem alteram. hoc si quaeras, non poteris inuenire. Abrahae prosapia, qua Iudaei censentur, hoc sigillo se insigniri gloriantur. ergo talis debet ueritas sequi, qualis eius imago praemissa est. nam et deus, qui uoluit ostendere rem singularem post esse debere insequente ueritate, non de auricula, non de digito uoluit aliquid tolli, sed ea pars corporis electa est, unde peritomen semel ablatum salutare in illis faceret signum, quod non potest iterum fieri. semel enim factum seruat salutem; si iterum fiat, potest adferre perniciem. sic et baptisma christianorum trinitate confectum confert gratiam; si repetatur, facit uitae iacturam. quid tibi igitur placuit, frater Parmeniane, rem singularem proponere et contra hanc licet diuersa duo baptismata conparare, unum uerum, alterum falsum? sic enim postea disputasti duas aquas esse, [cum] uobis unam uindicans ueram, alteram nobis mendacem adscribere uoluisti. post hoc etiam cataclysmi fecisti mentionem; erat quidem imago baptismatis, ut inquinatus totus orbis de-

mersis peccatoribus lauacro interueniente in faciem pristinam mundaretur. sed qui postea dicturus eras extra haereticorum morbidos fontes esse etiam aliam aquam, id est mendacem contra ueram: ut quid cataclysmum, quod semel fuit, commemorare uoluisti? si ita est, ostende prius duas arcas etsi non similes et duas columbas dispares diuersos ramos ore suo portantes, si aquam ueram et falsam probaturus es. aqua igitur sola et uera illa est, quae non de loco, non de persona sed de trinitate condita est. et quia dixisti et aquam esse mendacem, etiam . hoc disce, ubi eam poteris inuenire: apud Praxeam Patripassianum, qui ex toto filium negat et patrem passum esse contendit. et cum sit filius dei ueritas, sicut ipse testatur dicens: ego sum ianua et uia et ueritas — ergo si filius dei est ueritas, ubi ipse non est, mendacium est. cum apud Patripassianum non est filius, non est nec ueritas, et ubi ueritas non est, ibi est aqua mendax. quare uel sero iam desine confingere crimina et quod in Patripassianos dictum est, in catholicos noli transferre. nunc quoniam manifeste monstratum est a nobis et pro uobis dici potuisse, quod de diluuio et circumcisione locutus es, consequens est ostendere, quomodo laudem baptismatis ita dixeris, ut in ea multa pro nobis et pro uobis, aliquid tamen contra uos. pro utrisque illud est, quod et nobis et nobis commune est, ideo et uobis, quia ex nobis existis. denique et apud uos et apud nos una est ecclesiastica conuersatio, communes lectiones, eadem fides, ipsa fidei sacramenta, eadem mysteria. bene igitur laudasti baptisma; quis enim fidelium nesciat singulare baptisma uirtutum esse uitam, criminum mortem, natiuitatem inmortalem, caelestis regni conparationem, innocentiae portum, peccatorum, ut et tu dixisti, naufragium. has res unicuique credenti non eiusdem rei operarius, sed credentis fides et trinitas praestat.

Deinde quaeris, quid in laude baptismatis contra uos dixeris. audi, sed prius est fatearis, quod omnes negare minime poteritis. dicitis enim trinitatem pro nihilo haberi, ubi non interfuerit uestra praesentia. si nobis derogatis, uel deum reueremini, qui in trinitate prior est, qui cum filio suo et spiritu sancto omnia operatur et conplet, etiam et illic, ubi non fuerit humana persona. tu uero, frater Parmeniane, in laude aquae de Geneseorum lectione dixisti aquas primum uiuas animas edidisse. numquid sua sponte eas generare potuerunt? numquid non et illic fuerat tota trinitas? utique et illic fuerat deus pater, qui iubere dignatus est, qui dixit: educant aquae natantia, uolatilia, et cetera. quodsi sine operante fieret, quod factum est, diceret deus: educite, aquae. ibi erat ergo filius dei, qui operabatur, ibi erat spiritus sanctus, sicuti lectum est: et spiritus dei superferebatur super aquas. nihil illic uideo quartum, nihil minus a tribus, et tamen natum est, quod trinitas operata est, et non ibi fuistis; aut si sine uobis nihil debet licere trinitati, reuocate pisces in originem; iam uolantes aues fluctibus mergite, si uobis absentibus nihil debet trinitas operari.

Cum ergo dixeris et unum fuisse diluuium et circumcisionem repeti non posse, et nos docuimus caeleste munus unicuique credenti a trinitate conferri, non ab homine: ecquid uobis uisum est non post nos, sed post trinitatem baptisma geminare? cuius de sacramento non leue certamen innatum est et dubitatur, an post trinitatem in eadem trinitate hoc iterum liceat facere. uos dicitis: licet, nos dicimus: non licet. inter licet uestrum et non licet nostrum nutant et remigant animae populorum. nemo uobis credat, nemo nobis: omnes contentiosi homines sumus. quaerendi sunt iudices: si christiani, de utraque parte

dari non possunt, quia studiis ueritas inpeditur. de foris quaerendus est iudex: si paganus, non potest christiana nosse secreta, si Iudaeus, inimicus est christiani baptismatis; ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri iudicium: de caelo quaerendus est iudex. sed ut quid pulsamus ad caelum, cum habeamus hic in euangelio testamentum? quia hoc loco recte possunt terrena caelestibus conparari. tale est, quod quiuis hominum habens numerosos filios, quamdiu pater praesens est, pater et ipse imperat singulis; non est adhuc necessarium testamentum: sic et Christus, quamdiu praesens in terris fuit, quamuis nec modo desit, pro tempore quicquid necessarium erat, apostolis imperauit. sed quomodo terrenus pater, dum se in confinio. senserit mortis, timens, ne post mortem suam rupta pace litigent fratres, adhibitis testibus uoluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas, et si fuerit inter fratres nata contentio, non itur ad tumulum, sed quaeritur testamentum, et qui in tumulo quiescit, tacitus de tabulis loquitur: uiuus, cuius est testamentum, in caelo est, ergo uoluntas eius, uelut in testamento, sic in euangelio requiratur. etenim de praescientia, quae modo facitis, iam futura conspexerat Christus. denique cum lauaret pedes discipulis suis, sic ait Petro filius dei: quod ego facio, tu nescis; scies autem postea. dicendo \'scies postea\' haec tempora designabat; ergo inter ceteros testamenti titulos hunc titulum de aqua constituit. cum lauaret pedes discipulis suis, tacentibus ceteris si taceret et Petrus, solam fecerat formam humilitatis, nihil pronuntiauerat de sacramento baptismatis. sed cum Petrus recusat nec pedes sibi lauari permittit, negat illi Christus regnum, nisi accepisset obsequium. sed cum caelestis regni mentio fieret, quo pars corporis petebatur ad obsequium, totum corpus obtulit ad lauacrum. nunc adestote, omnes turbae et singuli christiani populi; quid liceat, discite. dum prouocat Petrus, Christus docet. qui dubitat, discat; Christi enim uox est: qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lauandi, quia est mundus totus. et de eo lauacro pronuntiauit, quod de trinitate celebrandum esse mandauerat, non de Iudaeorum aut haereticorum, qui dum . lauant, sordidant, sed de aqua sancta, quae de trium nominum fontibus inundat. sic enim ipse dominus praecepit dicendo: ite, baptizate omnes gentes in nomine patris et filii et spiritus sancti. de hoc lauacro dixit: qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lauandi. qui semel dixit, prohibuit iterum fieri et de re locutus est, non de persona. nam si esset distantia, diceret: \'qui semel bene lotus fuerit\'; sed dum non addidit uerbum \'bene\', indicat, quia quicquid in trinitate factum fuerit, bene est. inde est, quod simpliciter a uobis uenientes excipimus. cum dicit: non habet necessitatem iterum lauandi, haec sententia generalis est, non specialis; nam si Petro haec dicerentur, diceret Christus: \'quia semel lotus es, non habes necessitatem iterum lauandi\': ideo quotiens a uobis baptizatus aliquis ad nos transitum uoluerit facere, uenientem hoc magisterio et exemplo tota simplicitate suscipimus. absit enim, ut umquam exorcizemus sanum fidelem, absit, ut iam lotum reuocemus ad fontem, absit, ut in spiritu sancto peccemus, cui facinori et praesenti et futuro saeculo indulgentia denegatur, absit, ut iteremus, quod semel est, aut duplicemus, quod unum est. sic enim scriptum est apostolo dicente: unus deus, unus Christus, una fides, una tinctio. denique uos, qui baptisma quasi libenter duplicare contenditis, si datis alterum baptisma, date alteram fidem; si datis alteram fidem, date et alterum Christum; si datis alterum Christum, date alterum deum. unum

deum esse negare non potestis, ne in Marcionis foueas incidatis. ergo deus unus est, de uno deo unus est Christus. qui rebaptizatur, iam christianus fuerat; quomodo dici potest iterum christianus? una fides hoc loco ab haereticorum erroribus et ab eorum uaria fide fides unica separatur. etiam nobis praescribitur, qui post semel iterum facitis, totum ponendo in dotibus, nihil in sacramentis, cum hoc nomen fidei pertineat ad credentem, non ad operantem. quocumque enim interrogante qui credidit deo, credidit, et post illius unum \'credo.\' tu exigis alterum \'credo.\'. deinde sequitur unum baptisma, ut quia quod unum est, sanctum est, per quod unum est, non solum ab haereticorum profanis et sacrilegis baptismatibus separetur, sed ne duplicetur, quod unum est, aut iteretu , quod semel est.

In hoc sacramento baptismatis celebrando tres esse species constat, quas et uos nec augere nec minuere nec praetermittere poteritis: prima species est in trinitate, secunda in credente, tertia in operante. sed non pari libramine ponderandae sunt singulae. duas enim uideo necessarias et unam quasi necessariam; principalem locum trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest geri; hanc sequitur fides credentis; iam persona operantis uicina est, quae simili auctoritate esse non potest. duae priores permanent semper inmutabiles et inmotae; trinitas enim semper ipsa est, fides in singulis una est, uim suam semper retinent ambae. persona uero operantis intellegitur duabus prioribus speciebus par esse non posse, eo quod sola esse uideatur mutabilis. inter nos et uos uultis eiusdem personae esse distantiam et sanctiores uos aestimantes superbiam uestram non dubitatis anteponere trinitati, cum persona operantis mutari possit, trinitas mutari non possit. et cum ab accipientibus baptisma desiderari debeat, uos deside randos esse proponitis; cum operantes inter alios sitis, ostendite, qualem in eodem mysterio locum habeatis et an ex eodem corpore esse possitis. baptismatis unicum nomen est, cui subest proprium corpus, cui corpori certa sunt membra, quibus nec addi nec auferri aliquid potest; inter quae membra si eligendus operarius inuenitur, totum corpus ad operantem pertinet. haec omnia huius corporis membra et semper et semel secum sunt et mutari non possunt, operarii uero cotidie mutantur et locis et temporibus et personis. neque enim unus homo est, qui semper aut ubique baptizat. in hoc opere iamdudum alii fuerunt, modo alii, postea alii futuri sunt: operarii mutari possunt, sacramenta mutari non possunt. cum ergo uideatis omnes, qui baptizant, operarios esse, non dominos, et sacramenta per se esse sancta, non per homines, quid est, quod uobis tantum uindicatis? quid est, quod deum a muneribus suis excludere contenditis? concedite deo praestare, quae sua sunt. non enim potest id munus ab homine dari, quod diuinum est. si sic putatis, prophetarum uoces et dei promissa inanire contenditis, quibus probatur, quia deus lauat, non homo. adest contra uos Dauid propheta, qui ait in psalmo L: lauabis me et super niuem dealbabor. item in eodem psalmo: deus, laua me ab iniustitia mea et a delicto meo munda me. laua me, dixit, non dixit: elige, per quem lauer, et Esaias propheta sic dixit: quoniam abluet dominus sordes filiorum et filiarum Sion — Sion ecclesiam esse in tertio libro probauimus: ergo deus lauat filios et filias ecclesiae — non dixit: lauabunt hi, qui se sanctos putant. dignamini, ut uel prophetae uos uincant, uel. sic agnoscite, quia non lauat homo, sed deus. quamdiu dicitis: \'qui non habet quod det, quomodo dat?\' uidete dominum esse datorem, uidete deum unumquemque mundare; sordes

enim et maculas mentis lauare non potest nisi deus, qui eiusdem fabricator est mentis. aut si putatis, quia lauacrum uestrum est, dicite, qualis est ipsa mens, quae per corpus lauatur, aut quam habet formam aut quo loco in homine habitet: hoc homini scire negatum est. ergo quomodo putas, quia lauas, qui nescis, quale sit, quod lauas? dei est mundare, non hominis; ipse enim per prophetam Esaiam promisit se loturum, dum ait: et si fuerint peccata uestra uelut coccum, ut niuem inalbabo. inalbabo dixit, non \'faciam inalbari\'. si hoc deus promisit, quare uos uultis 10 reddere, quod uobis nec promittere licet nec reddere nec habere? ecce in Esaia se promisit deus inalbare peccatis adfectos, non per hominem. reuertimini ad euangelium, uidete, quid in salutem generis humani sit pollicitus Christus. cui cum mulier Samaritana aquam negaret, tunc a filio dei dictum est, quod praescribat praesumptionibus uestris: aquam, inquit, quam ego do, qui biberit, non sitiet in aeternum. aquam quam ego do, inquit, non dixit: \'quam dederint, qui se sanctos putant\', sicut uobis uidemini, sed se dixit daturum. ipse est ergo, qui dat, ipsius est, quod datur. quid est, quod uobis tota inportunitate uindicare contenditis?

Cum hanc rem cumulet Iohannes Baptista, qui praecursor uenerat saluatoris, cum multos tingeret in paenitentia et remissa peccatorum, nuntiauit filium dei esse uenturum; cuius uerba haec sunt: ecce uenit, qui uos baptizet. et tamen non legimus post Iohannem Christum aliquem rebaptizasse; quod ergo dixit: qui uos baptizet, ueniens Christus illo tempore post Iohannem neminem tinxit. promissum erat temporibus nostris, ut ipse daret, quod hodie datur, secundum quod ait: aquam quam ego do, qui biberit, non sitiet in aeternum. nam et discipuli Iohannis cum dicerent magistro suo: ecce quem baptizasti, baptizat: baptizabat quidem, sed per manus apostolorum, quibus leges baptismatis dederat. denique lectum est alio loco: nam ipse neminem baptizauit, sed discipuli eius. in hac re omnes discipuli eius sumus, ut nos operemur, ut ille det, qui se daturum esse promisit. et tamen cum Iohannes infinita milia hominum baptizaret, iam Christo praesente operabatur seruus et uacabat dominus, antequam baptizandi daret formam. per actum non modicum tempus milia hominum in paenitentia et remissione tincta sunt peccatorum. sed nemo tinctus fuerat in trinitate, nemo adhuc nouerat Christum, nemo audierat esse spiritum sanctum. at ubi uenit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges baptismatis filius dei et dedit uiam, qua iretur ad regna caelorum, etiam tunc praecepit dicens: ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. ex ea die oportuit fieri, quod mandatum est: ante tempus noluit emendare, quod operatum est, ne licentiam rebaptizandi daret, quamuis alterum fuerit baptisma Iohannis et alterum sit Christi. baptisma Iohannis ante legem pro pleno uoluit esse, quod non erat plenum; et tamen supra memorata milia hominum, quia in deum crediderant, quamuis ignorarent filium dei et spiritum sanctum, regnum caelorum eis denegare non potuit. inde est uox filii dei dicentis: a diebus Iohannis usque in hodiernum regnum dei uim patitur; et qui uim faciunt, diripiunt illud. ideo dixit: uim faciunt, quia adhuc baptizabat Iohannes. denique quia alterum tempus erat ante praecepta, alterum post praecepta, qui post praecepta in nomine saluatoris baptizati sunt, in regnum legibus intrauerunt; qui ante praecepta, sine lege uim fecerunt, sed exclusi non sunt. ergo ante praecepta baptisma Iohannis cum esset inperfectum, pro perfecto iudicatum

est ab eo, cui nemo iudicat, et quia quasi quidam limes fixus esset iussionis inter tempora antecedentia et sequentia. cum apud Ephesum baptizarentur aliqui in baptismate Iohannis post praecepta, hos uidens beatissimus Paulus interrogauit an accepissent spiritum sanctum. dixerunt se illi nescire, an esset spiritus sanctus, et dixit illis, ut post baptisma Iohannis acciperent spiritum sanctum. sic enim baptizati erant, quemadmodum multi a Iohanne fuerant baptizati. sed qui ante legem baptizati sunt, ad indulgentiam pertinuerunt, quia praesens fuerat, qui indulgentiam daret; non erant ex toto rei, qui legibus non fuerant occupati. hi uero, qui apud Ephesum post legem Iohannis baptismate baptizati fuisse leguntur, post leges in sacramento errauerant, quia iam introductum fuerat baptisma domini et exclusum fuerat serui. et ideo, quia post mandata diuina legibus debuerant ire in regnum, non per uiolentiam: iam enim terminum temporis fixerat Christus dicendo: a diebus Iohannis usque in hodiernum. post hodiernum iam non licebat, quod heri licuit. quare nolite uobis blandiri de dicto apostoli Pauli, qui non post personam operarii interrogauit, sed post rem, cui res, non persona displicuit. denique baptisma saluatoris iussit, ut discerent, qui non nouerant, quia non ipsum, sed aliud _.acceperant. uos uero quid inmutatis? si res potuistis mutare, recte feceritis, si tamen de lege aliquid feceritis. Paulus dixit: in quo baptismate baptizati estis? et dixerunt illi: Iohannis; persuasit eis, ut baptisma Christi acciperent. uos non dicitis: quid accepistis, sed a quo accepistis, et insectamini personas hominum et uultis iterare, quod semel est. qui baptizati erant apud Ephesum, crediderant in paenitentiam et remissionem peccatorum; recte illis dictum est, ut baptizarentur in nomine patris et filii et spiritus sancti. uos uero quid mutatis in hominibus, qui iam dixerunt se credidisse in nomine patris et filii et spiritus sancti? siue ipsum interrogetis, siue aliud, conuincamini necesse est peccare uos, siue illud interrogetis, quod iussum non est, siue hoc uelitis facere, quod iam factum est.

Redeo nunc ad illud uestrum, quod dicitis: \'qui non habet, quod det, quomodo dat?\' unde haec uox est, de qua lectione recitari potest? uox est de uico conlecta, non de libro lecta: \'qui non habet, quod det, quomodo dat?\' haec uerba in lege scripta non sunt; nam si, ut uultis, homo dat, deus uacat, et si deus uacat, et apud uos est omne, quod dandum est, ad uos sit conuersio; quos baptizatis, in nomine uestro tingantur. erubescite beatissimo Paulo clamanti et suam gratulationem prontenti: numquid in nomine meo baptizati estis? ille gaudet, quod duos solos et unam domum baptizauerit; et uos populos rebaptizare contenditis et peccasse uos et peccare gaudetis dicentes: \'quid dat, qui non habet, quod det?\' cui creditur, ipse dat, quod creditur, non per quem creditur. denique sub Iohanne infinita multitudo hominum baptizata est; probate Iohannem aut accepisse aut habuisse, quod daret. illo autem operante dabat deus, qui dando non deficit; et nunc operantibus cunctis humana sunt opera, sed dei sunt munera.

Iam illud quam ridiculum est, quod quasi ad gloriam uestram a uobis semper auditur: \'ho.c munus baptismatis esse dantis, non accipientis\'. et utinam hoc de deo diceretis, qui huius rei dator est! sed quod stultum est, uos dicitis esse datores. si ita est, et nos et uos teneamus singulos gentiles: . uos, qui uos sanctos dicitis, interrogate eum, quem tenetis, an renuntiet diabolo et credat domino; et ille dicat: \'nolo\'. contra nos peccatores, ut uultis, interroge-

mus alterum gentilem, an renuntiet diabolo et credat deo, et cetera, et dicat: \'renuntio et credo\', et cetera. cum uos tingatis nolentem, nos uolentem, dicatur, quis eorum possit ad dei gratiam pertinere. utique sine dubio ille consequitur, qui credit, non ille, pro cuius uoluntate, ut dicitis, sanctitas uestra succedit. operarios uos esse uel sero cognoscite, aut si in operario est res ipsa, et non in se, hoc sibi uindicent aliqui homines in artibus suis, ut, quia sic prouocatis, ad res diuinas etiam artes conparemus humanas. cum pretiosus inficitur color, natura saepe conuertitur, dum confectione uellus candidum purpurascit. sic alba lana regalem transit in purpuram, quomodo catechumenus in fidelem. utique dum incipit esse, quod non erat, desinit esse, quod fuerat. lana et colorem mutat et nomen, et homo et uocabulum mutat et mentem. consideranda sunt effecta, retractanda sunt efficientia. dicis a te datum esse, quod homo fidelis effectus est. si hoc totum tuum est, dicat et operarius artifex purpurae, quod pretiosum colorem in suis manibus habeat et non procuret pretiosa pigmenta ex Oceano multis ignota, quibus tincta uellera per colorem promoueantur in admirabilem dignitatem, non admixto sanguine piscis purpuram solo tactu conficiat. si igitur operarius iste per tactum solum dare colorem non potest, sic nec operarius baptismatis ex se sine trinitate dare aliquid potest. tale est et hoc, unde modo certamen est. nam in quo baptizentur gentes, a saluatore mandatum est; per quem baptizentur, nulla exceptione diacretum est. non dixit apostolis: \'uos facite, alii non faciant\', quisquis in nomine patris et filii et spiritus sancti baptizauerit, apostolorum opus inpleuit. denique lectum est in euangelio lohanne dicente: magister, uidimus quendam in nomine tuo expellentem daemonia et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. sic Christus ait: nolite prohibere; qui enim non est contra uos, pro uobis est. nam et ipsis sic mandatum est, ut opus esset illorum sanctificatio trinitatis; nec in nomine suo tingerent, sed in nomine patris et filii et spiritus sancti: ergo nomen est, quod sanctificat, non opus. intellegite uos uel sero operarios esse, non dominos. et si ecclesia uinea est et uites sunt homines et ordinati cultores, quid in dominium patris familias inruitis? quid uobis, quod dei est, uindicatis? quid uultis uestrum esse totum, ubi nec partem habere potestis? nam propter tumorem uestrum, quo in nos intumescitis, increpat Corinthios beatissimus Paulus: in se et Apollo actus temporis nostri conformat: ne alter, inquit, in alterum intumescat. ut ostenderet, quia hoc totum sacramentum baptismatis dei est, ut illic sibi nihil uindicet operarius, sic ait: ego quidem plantaui — hoc est: de pagano catechumenum feci — Apollo rigauit — hoc est: ille catechumenum baptizauit. sed ut cresceret, quod plantatum aut inrigatum est, deus fecit. nam et quiuis hodie uolens uineam suam pastinare operarium placita mercede conducit, qui curuato dorso et desudatis lateribus sinus terrae faciat, ubi deponat electa plantaria, et aquam calcatis scrobibus superducat. scrobem fodere et plantaria ponere potest; aquam inducere potest; imperare, ut teneat, non potest; est enim hoc solius dei de medullis palmitum producere radices coalescentes in terram et gemmantes oculos, incrementa frondium prouocare. denique beatus apostolus Paulus, ut uestram praesumptionem tumoremque conpesceret, ne se aestimet operarius baptismatis aut dominium habere, aut de tanto isto munere particulam sibi aliquam uindicare, indicans, quia totum dei est, sic ait: neque quia plantat neque qui rigat, est aliquid, sed solus deus, qui ad incrementa perducit. operarii inter alios estis intrante sole, hoc est finito saeculo potestis in die retributionis nobiscum de

mercede contendere. nolite uobis maiestatis dominium uindicare. nam si ita est, uindicent sibi et ministri, qui mensae dominicae famulantur, ut pro humanitate exhibita ab inuitatis gratulatio eis referatur. Christi uox est inuitantis: uenite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod uobis paratum est ab origine mundi. ueniunt gentes ad gratiam; exhibet ille, qui inuitare dignatus est; ministerium exercet turba famulorum; non famulantibus, sed pascenti referendae sunt gratiae. uos cum ministri sitis, inuerecunde totum uobis conuiuii dominium uindicatis, cum se et ceteros beatissimus Paulus famulos cum humilitate fateatur; ne quis putaret in solis apostolis aut episcopis spem suam esse ponendam, sic ait: quid est enim Paulus uel quid Apollo? utique ministri eius, in quem credidistis. est ergo in uniuersis seruientibus non dominium, sed ministerium. uides ergo iam, frater Parmeniane, ex tribus speciebus supra memoratis illam primo tripartitam esse inmotam, inuictam et inmutabilem operantis uero temporariam esse personam.

Restat iam de credentis merito aliquid dicere, cuius est fides, quam filius dei et sanctitati suae anteposuit et maiestati. non enim potestis sanctiores esse, quam Christus est; ad quem cum mulier illa ueniret, cuius filia erat mortua, et rogaret, ut suscitaretur, nihil promisit de uirtute sua, sed post fidem interrogat alienam, ut, si mulier crederet, pro matris credulitate filia surgeret, si non crederet, uirtus filii dei feriata cessaret. interrogatur mulier, respondit se credere fieri posse; quod rogabat. iubetur ire, redit ad domum mulier, inuenit puellam uiuam, quam dimiserat mortuam. non ruit in oscula, non properat in amplexus, sed redit, ut saluatori gratias ageret; et ut ostenderet filius dei se uacasse, fidem tantummodo 10 operatam esse: uade, inquit, mulier, in pace, fides tua te saluauit. ubi est, quod dicitis: \'dantis est, non accipientis?\' quid uobis uidetur et centurionis fides? cuius puer cum male haberet, saluatorem petiit, ut ab eo mortem repelleret. iam Christus pereuntem ueniebat ad puerum; sic eum centurio tenuit, ut indignitatem tecti sui confessus, quod filius dei totus non deberet intrare, sed suam uirtutem mittere, qua puer fugata morte reuiuiscere potuisset. non fortitudo centurionis, non sapientia laudata est, sed fides: et curatus est puer in illa hora. certe \'dantis est, non accipientis\' multa sunt huiusmodi in euangelio de fide perfecta, sed uel tria conplenda sunt fidei testimonia. quid uobis uidetur et illa mulier, quae de secreto causae feminarum, cum per annos duodecim laboraret et omnem substantiam suam in medicos erogasset, cum uideret a filio dei tantas celebrari uirtutes, processit in turbam, uidet medicum, uidet et populum. cogebat illam dolor, ut medicinam peteret, pudor inpediebat, ne causam suam coram masculis indicaret. inuenit consilium tacita tides. mittam, inquit, manum meam et tangam fimbriam uestimenti huius, et sanafiam. nemine uidente inter turbas manum misit, tetigit et sanata est; nec ausa est indicare, quod ausa non fuerat petere. sed ne fructus fidei apud ignorantes latere uideretur, sic saluator ait: quis me tetigit? mirati sunt discipuli eius dicentes: turbae te conprimunt; tu dicis: quis me tetigit? et Christus: quis me, inquam, tetigit? sensi a me exisse uirtutem. sic mulier confessa est se tetigisse et sanam esse. iamdudum pro filia mater petiit, pro puero centurio postulauit; hoc loco nec mulier petiit, nec Christus promisit, sed fides quantum praesumpsit, exegit: certe \'dantis est, non accipientis.\'

Nam quod ad amplificandos tractatus tuos, frater Parmeniane, Naaman Syrum quasi inmaturam quandam durissimorum nascentium uulnerum massam diu describere uoluisti, quid hoc ad praesentem pertinet causam? bene hoc diceres et longa oratione recte uti potuisses, si inuenires aliquem catechumenum scabrosissimis moribus, qui gereret durissimam mentem, qui lenissimam gratiam aquae salutaris accipere detrectaret. bene hominis innouationem uerbis a te dictis ostenderes, bene ueternosam naturalem duritiam in infantilem carnem inmutari ac molliri posse monstrares. in hoc uero negotio, quod inter partes tempore praesenti tractatur, ut quid a te talis commemorata est lectio? in qua non legitur aliquis illum leprosum Syrum ante dictum uel iussione Helisaei lauisse, ut merito denuo melius lauaretur. quod et si fieret, nec sic nobis occurreret, quod recte imitari possetis. non enim legitur ille prius lauisse in fluminibus Syriae aut ab aliquo lotus esse et nihil profecisse. nam et si hoc legeretur non ad Helisaei laudem, qui non lauit, sed consilium dedit, sed ad Iordanis gloriam pertineret, illi homini in eo flumine primitiuam gratiam prouenisse, in quo postea sub Iohanne per confessionem in paenitentiam populorum peccata fuerant moritura.

Postremo qualis est illa pars tractatus tui de caelestibus nuptiis, ubi spem amputans futurorum totum in praesenti tempore posuisti dicendo a societate uestra proiectum esse eum, qui ianitores et ministros fefellerit uestros, ut a communione fidelium foras cum iniuria mitteretur. si ita est, nihil est, quod speret fides, nihil, quod resurrectio repraesentet, nihil, quod in caelis amplius expectetur, nihil, quod rex ille [caelestis] et pater familias deus in suo conuiuio agnoscat, cum praesentia multorum gaudeat et de aliquorum absentia contristetur. et multos dicat uocatos, paucos uero electos; nihil erit, quod irascatur uestem nuptialem non habenti, cum filius dei ipse Christus sit sponsus et uestis et tunica natans in aqua, quae multos uestiat et infinitos expectet nec uestiendo deficiat. sed ne quis dicat temere a me filium dei uestem esse dictum, legat apostolum dicentem: quotquot in nomine Christi baptizati estis, Christum induistis. o tunica semper una et inmutabilis, quae decenter uestiat et omnes aetates et formas nec in jnfantibus rugatur nec in iuuenibus tenditur nec in feminis inmutatur! aderit profecto ille dies, ut caelestes nuptiae incipiant celebrari; illic qui baptisma singulare seruauerint, securi discumbent. nam. quicumque a uobis se rebaptizari consenserit, huiusmodi homini non denegatur resurrectio, quia credidit in resurrectionem carnis; resurget quidem, sed nudus. sed quia nuptiali ueste a uobis se expoliari permisit, hanc patris familias auditurus est uocem \'amice — hoc est diccre: agnosco te — aliquando renuntiaueras diabolo et ad me conuersus fueras et dederam tibi uestem nuptialem; ut quid sic uenisti non habens, quod tibi dedi?\' hoc est dicere: quare non habes, quod tibi dedi? nemo enim potest irasci non habenti rem, quae data non sit. uestem nuptialem inter istos acceperas et solus non habes? quare nudus et lugubris uenisti? quis tibi detraxit spolia? quas fraudulentas adisti fauces? quos incurristi latrones? quotquot tales uenturi sunt, locum in illo conuiuio non habebunt.-

Et ut uel sero conpendium faciam, credo etiam hoc sufficere; etsi tot probationes minime diceremus: uobis absentibus uerbo tenus baptizati sunt mille: ex his sorte sua defuncti sunt centum. abstinete paulisper ab hoc scelere manus. sanctitas, ut dicitis, uestra primo resuscitet sepultos, emendet, si potest, mortuos et sic reuertatur ad uiuos. si mortuos sus-

citare non potestis, ut quid uiuentibus conamini manus inferre, nisi ut conpleatur, quod per Ezechielem prophetam de uobis locutus est deus dicens: ut occiderent animas, quas non oportuit mori.

Liber Sextus

Ut mihi uidetur, liquido demonstratum est, in diuinis sacramentis quid nefarie feceritis. iam illa ostendenda sunt, quae crudeliter ac stulte uos fecisse negare minime poteritis. quid enim tam sacrilegum quam altaria dei, in quibus et uos aliquando obtulistis, frangere, radere, remouere, in quibus et uota populi et membra Christi portata sunt, quo deus omnipotens inuocatus sit, quo postulatus descenderit spiritus sanctus, unde a multis et pignus salutis aeternae et tutela fidei et spes resurrectionis accepta est? altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non iussit saluator inponi, nisi quae essent de pace condita. depone, inquit, munus tuum ante altare et redi prius, concórda cum fratre tuo, ut possit pro te sacerdos offerre. quid est enim altare nisi sedes et corporis et sanguinis Christi? haec omnia furor uester aut rasit aut fregit aut remouit. hoc igitur inexpiabile nefas, si de aliqua ratione descendit, uno modo fieri debuit. sed ut aestimo, alio loco copia lignorum frangi iussit, aliis uero ut altaria raderent, lignorum inopia imperauit; ut autem alii remouerent, ex parte uerecundia persuasit; ubique tamen nefas est, dum tantae rei manus sacrilegas et inpias intulistis. quid perditorum conductam referam multitudinem et uinum in mercedem sceleris datum? quod ut inmundo ore sacrilegis haustibus biberetur, calida de fragmentis altarium facta est. si liuoris iudicio nos uobis sordidi uidebamur, quid uobis fecerat deus, qui illic inuocari consueuerat? quid uos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta corpus et sanguis habitabat? quid uos offendistis etiam uos ipsi, ut illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia sancte, ut arbitramini, obtulistis? dum inpie persequimini manus nostras illic, ubi corpus Christi habitabat, feristis et uestras. hoc modo Iudaeos estis imitati: illi iniecerunt Christo manus in cruce, a uobis percussus est in altari. si catholicos illic insectari uoluistis, uel uestris illic antiquis oblationibus parceretis. ibi modo superbus inuentus es, ubi iamdudum humilis offerebas, ibi libenter peccas, ubi pro multorum peccatis orare consueuerap. hoc faciendo in numerum sacrilegorum sacerdotum libenter intrastis, sociati sceleribus profanorum, de quibus apud dominum Helias propheta querelam deponit; his enim locutus est uerbis, quibus et uos inter alios ab ipso accusari meruistis: domine, inquit, altaria tua confregerunt. dum dicit \'tua\', indicat, quia res est dei, ubi deo aliquid a quocumque oblatum est. sufficeret insaniae uestrae, quod membra laniastis ecclesiae, quod dei populos iamdudum in unitate positos uestris seductionibus diuisistis. inter haec omnia uel altaribus parceretis. cur uota et desideria hominum cum ipsis altaribus confregistis P illinc enim ad aures dei ascendere populi solebat oratio. cur

concidistis precibus uiam? et ne ad deum supplicatio de more solito ascensum haberet, inpia manu quodammodo scalam subducere laborastis? et tamen cum omnium uestrum una sit coniuratio, in hoc titulo simili errore dissimiliter deliquistis. si suffecerat remouere, non licuit frangere; si oportuit frangere, rasisse peccatum est; si enim non licuit, sicut inter uos placuit, recte uidetur fregisse, qui fregit. iam reus est, qui maiorem partem radendo seruauit. quae est ista noua et stulta sapientia nouitatem quaerere in uisceribus uetustatis et remota quasi quadam corporis cute in latenti corpore cutem quasi alteram quaerere! donum, quod ad se pertinet et in se totum est, quod unum est, inde cum aliquid fuerit ablatum, minui potest, non potest inmutari. rasisti equidem, quod tibi uisum est; sed adhuc ibi est, quod odisti. quid? quodsi sic coniurastis, ut quae a nobis in nomine dei in ipso ministerio tacta sunt, inmunda uiderentur? quis fidelium nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri? inter ipsa sacramenta uelamen potuit tangi, non lignum; aut si tactu possunt penetrari uelamina, ergo penetrantur et ligna; si penetrari possunt ligna, penetratur et terra; si a uobis lignum raditur, et terra, quae subter est, fodiatur, altam facite scrobem, dum pro uestro arbitrio quaeritis puritatem. sed obseruate, ne ueniatis ad inferos et illic inueniatis Core; Dathan et Abiron scismaticos, magistros scilicet uestros. ergo et fregisse uos et rasisse constat altaria. quid est, quod in hac re subinde uester quasi languere uisus est furor? uidemus enim uos postea mutasse consilium et altaria a uobis iam non frangi nec radi, sed tantummodo remoueri. si hoc sufficiebat, illa, quae prius a uobis facta sunt, et uos indicatis, quia fieri minime debuerunt.

Hoc tamen inmane facinus a uobis geminatum est, dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis portatores, quorum species reuocastis in massas merces nefariis nundinis procurantes — ad quam mercem nec emptores eligere uoluistis — sacrilegi, dum inconsiderate uendidistis, auari, dum uenditis. passi estis etiam conburi manus uestras, quibus ante nos eosdem calices tractabatis. eam rem tamen passim uendi iussistis, emerunt forsitan in usus suos sordidae mulieres, emerunt pagani facturi uasa, in quibus incenderent idolis suis. o scelus nefarium, o facinus inauditum auferre deo, quod idolis praestes, subducere Christo, quod proficiat sacrilegio!

Sed uideo hoc uos loco inuidiam nobis falso conflantes ad Aggaeum prophetam uelle confugere, ubi scriptum est: quae tetigerit pollutus, polluta sunt. liuore interueniente facile est iratis iactare conuicium; sed semper dum intenditur crimen, necessaria est manifesta probatio. quis enim nostrum intrauit templa? quis uidit sacra sacrilega? pollui homines possunt fumis, nidoribus, sacrilegiis, sacrificiis, sanguine; sed in hac causa quis ingressus est templum? quis incendit idolis? quis inmundis nidoribus maculatus est? quis sanguinem uel pecudis inmundae uel hominis fundi aspexit? quem probatis ad aliquod facinus commodasse consilium? in societate alicuius sceleris uel unum episcopum conuincite, si potestis. de nescio quo primate suspicamini, qui eodem tempore ambulasse dicebatur. suspicio non est idoneum crimen. quis eum accusauit? quis eum conuicit? ubi uel erubuit uel confusus est? seruate uobis suspiciones uestras. igitur, sicuti supra diximus, in hac causa quicquid aspere fieri potuit, dum illa res in origine reuocatur, ad principes uestros pertinere monstrauimus; unde est, quod catholicos quasi pollutos appel-

las? an quia uoluntatem et iussionem dei secuti sumus amando pacem, communicando toto orbi terrarum, sociati orientalibus, ubi secundum hominem suum natus est Christus, ubi eius sancta sunt inpressa uestigia, ubi ambulauerunt adorandi pedes, ubi ab ipso filio dei factae sunt tot et tantae uirtutes, ubi eum sunt tot apostoli comitati, ubi est septiformis ecclesia. a qua uos concisos esse non solum non doletis sed quodammodo gratulamini. quia unitatem deo placitam amauimus, pollutos uocatis; quia Corinthiis, Galatis, Thessalonicensibus adsensum adcommodauimus communionemque coniungimus, pollutos uocatis; quia furtiuas uobiscum non legimus lectiones, pollutos uocatis — aut negate uos alienas lectiones legere, si potestis. ut quid audetis epistulas ad Corinthios scriptas legere, qui Corinthiis communicare noluistis? ut quid ad Galatas, ad Thessalonicenses scripta recitatis, in quorum communione non estis? cum haec omnia ita esse constet, intellegite uos ab ecclesia sancta esse concisos et nos non esse pollutos. ubi est ergo, quod tibi putas Aggaeum prophetam posse succurrere? igitur altaria et uasa supra memorata et in manibus uestris iamdudum fuerant et in nostris: si infamatis manus nostras, quare illic damnatis et uestras? sed dicitis lectum esse: quod tetigerit pollutus, pollutum est. fac aliquem pollutum esse, ut possint ab eo tacta uideri polluta. esto, si solus sit tactus et non interueniat inuocatio nominis dei, quae et tetigerit pollutus, [polluta erunt] inquinari possunt, si de deo taceatur. nam si sit inuocatio nominis dei, ipsa inuocatio sanctificat, et quod pollutum esse uidebatur. denique cum ducenta et quinquaginta turibula, quae sacrilegorum et peccatorum manibus portabantur, cum eosdem peccatores absorberet terra, remanserunt de manibus eorum excussa turibula. et dum dubitaret Aaron sanctus sacerdos, quidnam de his faceret, audiuit uocem dei dicentis; tolle Aaron haec uasa et fac inde laminas et pone in angulis arcae testamenti domini, quoniam, licet illi peccauerint, qui ea ferebant, tamen uasa illa sancta sunt, quia nomen meum illic inuocatum est, dicit deus. et utique plus est portare quam tangere. ergo iam liquido apparet ex inuocatione nominis dei posse aliquid sanctificari, etiam si peccator inuocet deum; non enim tantam uim potest habere tactus, quantam habet diuini nominis inuocatio. nam et uos, qui uobis de uestra sanctitate praesumitis, dicite, si tactus sanctificat aut inuocatio. utique inuocatio, non tactus; aut si de solo tactu praesumitis, tangite tabulam, lapidem, uestem: uideamus, an sancta esse possint, si de deo taceatur.

Iam illud quam stultum, quam uanum est, quod ad uoluntatem et quasi ad dignitatem uestram reuocare uoluistis, ut uirgines dei agere paenitentiam discerent, ut iamdudum professae signa uoluntatis capitibus postea uobis iubentibus inmutarent, ut mitellas alias proicerent et alias accepissent. primo dicite nobis, ubi uobis de mitellis aliquid mandatum est. uirginitas enim uoluntatis res est, non necessitatis. denique stabularius ille Paulus apostolus, cui confossus peccatorum uulneribus populus commendatus est, duos denarios, quos erogasset, acceperat, duo scilicet testamenta, haec per doctrinam quasi sumptus inpendit, docuit, quomodo coniugales christiani debeant uiuere: de quo cum quaereretur, quid de uirginibus praeciperet, respondit de uirginibus nihil esse mandatum. confessus est se duo testamenta, hoc est duos denarios erogasse: expliciti erant quodammodo sumptus, sed quia, qui saucium commendauerat, promiserat se redditurum, quicquid in curam

amplius erogasset, post inpensos duos denarios non praecepta, sed consilium erogat Paulus ad uirginitatem; nec inpedimento est uolentibus nec nolentes inpellit aut cogit: qui dederit uirginem suam, bene facit, et qui non dederit, melius facit. haec sunt uerba consilii nec ulla sunt praecepta coniuncta, uel de qua lana mitella fieret uel de qua purpura pingeretur. non enim hoc panno potest uirginitas adiuuari, non inde conpescuntur aestus animi, quos interdum aetas accendit, non inde subleuatur mens, quae nonnumquam desideriorum ponderibus premitur. nam si ita esset, non una sed plurimae uirginis capiti inponerentur, ut, quotienscumque animum carnis desideria pungerent, contra inpugnationem mentis mitellarum numerus dimicaret. res inuenta est ad signum capitis, non ad remedium castitatis. denique talis pannus ueterari et rodi et perire potest; et tamen uirginitas. si inlaesa sit, sine mitella tuta esse potest. spiritale nubendi hoc genus est. in nuptias sponsi iam uenerant uoluntate et professione sua; et Ut saecularibus nuptiis se renuntiasse monstrarent et iunctas spiritali sponso, soluerant crinem: iam caelestes celebrauerant nuptias. quid est, quod eas iterum crines soluere coegistis? quid, inquam, quod ab ipsis per uos exacta est secunda professio? quis est alter spiritalis sponsus, cui iterum nuberent? quando mortuus est, cui nupserant, ut iterum nubant? nudastis denuo capita iam uelata, de quibus professionis detraxistis indicia, quae contra raptores aut petitores uidentur inuenta. in mitella indicium est uoluntatis, non castitatis auxilium: ut rem iam deo deuotam nec, qui sponsabat, perseueret petere aut ne raptor audeat uiolare. signum est ergo, non sacramentum. inuenistis igitur huius modi uirgines, quae iam spiritaliter nupserant, quas secundas coegistis ad nuptias, et ut crines iterum soluerent, imperastis. hoc nec mulieres patiuntur, quae carnaliter nubunt. ex quibus si alicui maritum post matrimonii orbitatem mutare contigerit, non repetitur temporalis illa festiuitas, non in altum tollitur, non populi frequentia procuratur. detraxistis igitur non capitis ornamenta, sed, ut supra diximus, melioris uoluntatis indicia. iam consecratos deo sparsistis inmundis cineribus crines, iussistis etiam salsa aqua perfundi. et utinam uel id, quod tulistis, uelociter reponeretis: produxistis moras, ut retractae in pristino habitu aliquae diutius remanerent, retractis signis, quibus se iamdudum contra petitores et raptores muniuerant. qui cum uiderent praescriptionem. sibi iamdudum obpositam a uobis esse sublatam, de sponsis raptores effecti sunt: nec uisus est sibi unusquisque peccasse, dum talem rapuit, qualem uiderat, quando, ut uxorem acciperet, postulabat.

In hoc genere quanta damna fecistis deo, quanta lucra diabolo procurastis! conflastis inpie calices, crudeliter confregistis et inconsulte rasistis altaria; puellas miseras non sine obprobrio, ut secundam mitellam acciperent, coegistis, cum de prima in lectione recitari non possit. et illud praetermittere nequeo, quod nec deo est placitum nec a uestris cultoribus excusari nec ab aliquo homine defendi potest. per iudicia saecularia et leges publicas diuinae legis instrumenta executione officiorum a plurimis extorquenda esse duxistis, uolentes soli habere, quod pax in commune possederat. non uereor christianus dicere, quod uobis postulantibus gentilis executio non potuit ignorare: uelamina et instrumenta dominica extorsistis. quae iamdudum fuerant in commune possessa; extorsistis cum codicibus pallas: iudicio superbiae uestrae utraque arbitrati estis esse polluta. nisi fallor, haec

omnia purificare properastis- lauistis procul dubio pallas; indicate, quid de codicibus feceritis. in omnibus iudicium prouidentiae uestrae debet esse aequale: aut utrumque lauate aut utrumque dimittite. quodsi aliter facias, corrupisti diligentiam tuam; pallam lauas, codicem non lauas: si in una parte bonum est, in altera malum est. non potes negare offendere te in una, si in altera promereris, et si gaudes, quod in una uidearis religiosus, debes et plangere. quia teueris in altera parte sacrilegus.

Iam illud quale est. quod in multis locis etiam parietes lauare uoluistis et inclusa spatia aqua salsa spargi praecepistis. o aqua quae dulcis a deo creata es, super quam ante ipsos natales mundi sanctus spiritus ferebatur. o aqua, quae ut purum faceres orbem, lauisti terram! o aqua, quae sub Moyse, ut naturalem amaritudinem perderes. indulcata ligno tot populorum pectora suauissimis haustibus satiasti! restabat tibi post promotionem non leuiter degradari. praesentia Moysi in te amaritudo moritur et a scismaticis hodie cum catholicorum turba dulcedo tua uexatur. pares patimur bellum, pares expectamus uindicem deum. dic, frater Parmeniane, quid uobis fecerat locus, quid ipsi parietes, ut a uobis ista paterentur. an quia illic rogatus est deus? an quia illic laudatus est Christus? an quia illic inuocatus est spiritus sanctus? an quia uobis absentibus illic prophetae et sancta euangelia recitata sunt? an quia illic fratrum iamdudum litigantium concordauerant mentes? an quia unitas deo placita in qua habitaret, inuenerat domum? indicate, quid illic lauare potuistis. si catholicorum uestigia et in uico et in platea calcauimus, quare non omnia emendatis? nam et fouendorum corporum causa eadem nos et uos lauacra pariter abluerunt et ante uos frequenter nostrorum loti sunt multi. si post nos purificanda putatis omnia, lauate et aquam, si potestis; aut si uestigia, ut supra diximus, nostra uobis uidentur esse polluta; sufficeret terra; ut quid et parietes lauare uoluistis, in quibus humana non possunt poni uestigia? parietes non calcare, sed tantum uidere potuimus. si et quod tangit aspectus, lauandum esse censetis, cur cetera dimisistis inlota? uidemus tectum, uidemus et caelum, haec a uobis lauari non possunt. illa lauando promeriti estis deum, ista non lauando inexpiabile uidemini incurrisse peccatum. cum igitur alibi quasi diligentes uideri uultis, alibi neglegentes estis inuenti — si tamen diligentia dicenda est stultitia et, ut uero nomine appellem, uanitas uestra: nisi forte quia hoc faciendo in pauorem misistis populos inperitos, ut, quia lota est columna, lauarentur et corpora. si in his rebus consilium latet, miseros subtiliter decepistis; si talis res sine consilio gesta est, manifesta est uestra hebetudo. haec uos stulte fecisse et a uobis seducti cognoscunt nec uos ipsi negare poteritis.

Quid referam etiam illam inpietatem de uestra coniuratione uenientem, quia ad hoc basilicas inuadere uoluistis, ut uobis solis cimiteria uindicetis non permittentes sepeliri corpora catholica? ut terreatis uiuos, male tractatis et mortuos negantes funeribus locum. si inter uiuentes certamen fuerat, odia uestra uel mors aliena conpescat. iam tacet, cum quo paulo ante litigabas; quid insultas funeri? quid inpedis sepulturae? quid cum mortuis litigas? perdidisti malitiae fructum. et si corpora non uis in unum quiescere, animas tamen in uno apud deum positas non poteris separare.

Omnia denique, quae a uobis geruntur, ex toto narrari non possunt, sed tamen concedantur uobis, qui erroris huius magisterium possidetis. iam et de uestris silere quis posset, de illis scilicet, quos aut factione aut subtilitate, ut uestros faceretis, seducere potuistis, non solum masculi sed etiam feminae: ex ouibus subito facti sunt uulpes, ex fidelibus perfidi, ex patientibus rabidi, ex pacificis litigantes, ex simplicibus seductores, ex uerecundis inpudentes, feroces ex mitibus, ex innocentibus malitiae artifices. post quod ad uos delapsi sunt aut delapsae, dolent alios ibi esse, ubi nati sunt; bene stantes in lapsus suos inuitant; si scirent se gloriam consecutos, felicitate sua tacite fruerentur. nunc autem perditos transitus suos consolari cupientes, ceteros ut similiter labantur, inuitant et residentes in sinu matris ecclesiae quasi pigros et tardos accusant. his enim uerbis loqui non erubescunt: \'Gai Sei uel Gaia Seia, quamdiu te tenes?\' hoc est dicere: iam meum sequi debes errorem, iam debes deserere ueritatem. [quam diu te tenes? hoc est dicere:] imitare lapsus meos, imitare transitus turpes. quamdiu fidelis uocaris? iam fidem desere, iam paenitentiam disce: uos estis aucupes, et illi aut illae sunt aues. sed quia non est unum aucupum genus: alii sunt, qui arte simplici altis fundatas radicibus in faciem nemoris diffusas arbores petunt, ubi aues simplici uolatu naturalibus ramis insidunt; non illic numerantur fraudes, non artificiosa consilia; ars una est et sola capiendi peritia. illi uos aucupi similes dico, qui post discessum noctis ante lucis aduentum non aliorum more naturales uadit ad arbores. sed ipse arborem portans futurum nemus stringit in fascem aridam arborem nullis radicibus fultam multiplici fraude conponit. cui adulterinos inserit ramos, et quae suas iamdudum succisa. perdidefat, alienas accipit frondes. alias aues clausas portat in cauea, euisceratas alias ad imaginem uiuentium, olim extinctas fallacibus ramis quasi uiuentes inponit. aliae latent in caueis, aliae quasi uiuentes uidentur in ramis. iungitur una geminata fraude calliditas, et ut decipi uiuarum uolantium simplicitas possit, quas mortuas esse constat, uidentur tendere colla cum uocibus, et quae latent in carcere suo, quasi de gutture cantant alieno. inter alterius imaginem et alterius uocem dolus unus operatur: captiuae liberas capiunt et mortuae uiuentes occidunt. tales sunt, quos aut rebaptizatione aut paenitentia sauciastis, ne soli aut solae perisse uideantur, alios uel alias secum perire magno studio et labore contendunt.

Liber Septimus

Post traditores ostensos et sanctam ecclesiam demonstratam, post repulsas quas ingerebatis calumnias et post peccata uestra, quae a deo increpari meruerunt, ordine suo et iteratio sacramentorum et praesumptiones uestrae et terrores ostensi sunt. iam responsorum dictorumque nostrorum finis esse debuerat; sed quoniam post inuidiae siluam securibus ueritatis abscisam uideo adhuc uestras uel uestrorum prouocationes pullulare, quas uos audio dicere, ad unam communionem non oportuisse quaeri, cum filios traditorum uos esse constiterit, ad ea pauca respondeam. reuera sufficiebat sibi ecclesia catholica habens innumerabiles populos in prouinciis uniuersis, sufficiebat et in Africa, licet in paucis; sed deo uestra separatio non placebat, quoniam diuulsa fuerant unius corporis membra et contra uoluntatem dei fratres a fratribus errabatis. quamuis domesticum iudicium in parentibus uestris operatum sit, ut ultro recederent, qui pro admissa traditione abici debuerant, nullum iudicium celebratum est, sed sententiae est operatus effectus. pellendi fuerant post traditionem, de qua sibi in concilio Numidiae confessi sunt; sed ne inuidia esset, excusata est iudicandi seueritas, dum maiores uestri ultro inuenerunt de reatu consilium, ut cooperto crimine suo quasi superbi discederent, quibus et dolere et erubescere debebatur. illi namque si illo tempore bono pacis unitatem facere debuerant, etiam et ipsi ab ecclesia non fuerant repellendi, in quibus necessitas excusauerat uoluntatem. non enim aliqui illorum sponte tradiderant aut hoc peccatum cum ceteris delictis poterit coaequari. qurcquid enim deus fieri noluit, ore suo prohibuit, quo modo dixit: non occides, non moechaberis, et cetera. potuit etiam hoc prohibere, quod a parentibus uestris admissum est; sed quoniam aliud est, quod facit animus, aliud est, quod operatur euentus, quicquid de uoluntate potest ab homine fieri, hoc meruit prohiberi; quicquid necessitas peccat, non potest magnis uiribus accusari. denique uoluntas habet poenam, necessitas ueniam. homicida, scelus dum nemo cogit, potest et facere, potest et non facere; adulterium moechus, dum de foris nemo conpellit, potest admittere, potest et non admittere, et cetera huiusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium. ideo prohibita dum geruntur, iudicio destinantur, non interdicta dum aliqua necessitate fiunt, forte facile dignetur ignoscere, qui noluit prohibere. deniquedelictum, hoc quod quasi capitale potuit obi i parentibus uestris. si illo in tempore nudarentur aut in iudicium uocarentur, possent sibi exemplo non uno succurrere, ubi primis temporibus aut tabulae legis fractae aut libri traditi esse leguntur uel incisi et incensi, et nemo damnatus est. si, ut supra dixi, parentes uestri illo tempore nudarentur, si accusari potuissent, sine

dubio dicerent se nihil amplius fecisse a Moyse legislatore. quamuis non sibi similent sed inter se repugnent necessitas et uoluntas, cum eodem nomine legis parentum uestrorum et Moysi una fuerit causa. possent dicere parentes uestri illud se de necessitate fecisse, quod Moyses prior fecerit de uoluntate. qui cum populo indignaretur, non considerauit, quia deus digito suo scripserat — et plus est, quod scriptum est in caelo, quam quod in terra, et non est unum, quod fecit dei digitus et quod scripsit calamus humana manu conpositus. Moyses ferebat, quod per nubem acceperat, et parentes uestri tradiderunt, quod data mercede confecerant. recte se parentes uestri defenderent docentes capitale crimen non esse, si id fecisset so unusquisque eorum magno metu perterritus, quod Moyses fecisset iratus. et non legimus dominum indignatum esse Moysi nec uindicasse confractas tabulas, quas manu sua perscripserat, nec peccator appellatus est nec punitus. sic lex a deo profecta est, ut aqua de fonte dilabitur aut poma, quae de arbore salua radice carpuntur. non perit, quod erogatum est, si in origine sua saluum est. denique Moyses post tabulas sparsas legis et comminutas non damnari meruit et Sina postea montem reuocatus ascendit et loqui cum deo iterum meruit et secundum legem innouatam accepit, quam prodiit titulus libri, qui Graeco uocabulo deuteronomos scribitur. ecce non perit in lege, quod saluum fuerat in origine. sed ne cui uideatur Moyses habuisse meritum, ut de conloquio quandam apud deum fiduciam et ideo deum non iratum esse, et hoc si ita esset, semper amicitia meritum suum et fructum exigere debebat: quare in eum postea uindicatum est, quod offendit? nonne ut ostenderetur leue fuisse illud, quod iratus admiserat? lex in deo sana fuit, et postquam ab homine cum tabulis lapideis fracta est; deuotio quae ab homine debebatur, ubi exhibita non est, Moyses illam poenam meruit, ut medio itinere moreretur, ne terram promissionis intraret, unde constat non magnum peccatum posse conputari, quod in praesenti exemplo potuit inpune committi. haec si a parentibus uestris dicerentur, quis eis communionem negare potuisset? quid? si et illa consequentia exempla proponerent, in quibus legitur, innouata lex cum haberetur in arca et populus Israhel in proelio uinceretur. lex quae in arca consilio populorum in hostes adlata est, quae ab ipsis presbyteris et ceteris filiis Israhel defendi non potuit, et inimicis est tradita, dum minus est reportata: tradita lege qui adferendam dixerant, fugerunt timidi et non leguntur postea in uindicta aliquid passi. si a parentibus uestris haec ratio redderetur, quis eos a communione sua repellere potuisset? quid? si nec illa exempla tacuissent principes uestri, quibus legitur Baruch librum legis, quem ex ore Hieremiae prophetae exceperat, tradidisse scribae Iudin et a principibus regis iussum esse, ut et ipse Baruch, qui exceperat, et Hieremias, per quem deus locutus erat, fugerent et laterent. Hieremias dictabat, Baruch tradidit, fugerant ambo; ad Ioachim regem liber adlatus est, qui rex cum ante se pro qualitate temporis frigidi arulam habuisset . ardentem et librum a Iudin scriba recitatum non libenter audiuisset, subinde concisum minutatim ignibus inponebat. et non iratus est deus uel Hieremiae, qui fugerat, uel Baruch, qui cum eo fugiens tradiderat; quibus si deus iratus esset, ad prophetam aliquem alterum loqueretur; non ad alterum, sed ad ipsum Hieremiam locutus est. sic enim legitur: et factus est sermo domini ad Hieremiam, postquam conbussit rex capitulum libri et sermones, quos scripsit Baruch ex ore Hieremiae. dixit deus ad Hieremiam: accipe tibi chartam alteram et scribe omnes sermones tuos, qui tunc erant scripti in libro, quem conbussit Ioachim rex Iudae., ecce nec

deus iratus est, nec qui arserat perit, nec Baruch punitus est, nec Hieremias a deo contemptus est; unde apparet, quod in hac re grauis numquam fuerit culpa, quam numquam potuit sequi uindicta. , si haec parentes uestri adlegarent, quis illos a communione reuocare potuisset? denique cum uideret deus et a Moyse legis tabulas fractas et arcam hostibus derelictam et post traditionem Baruch librum legis et incisum esse et conbustum. indicauit prouidentiam suam et promisit se legem iam non in tabulis scribere nec in libris, sed in ipso interiori homine, hoc est in mente et in corde uniuscuiusque credentis, quomodo scripserat in corde Noe, Abrahae, Isaac et Iacob et ceterorum patriarcharum, quos constat legitime sine lege uixisse. quam rem probat et beatus apostolus Paulus dicens: scripta non atramento, sed spiritu dei uiui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. post legem a Moyse fractam et a filiis Israhel hostibus derelictam et offerente Baruch ad Ioachim regem et concisam et incensam ante tempora christiana, ubi postea melius scripturus erat, legem indicauit deus per prophetam dicens: quoniam hoc est testamentum meum, quod disponam domui Israhel et domui Iudae, et post dies illos, dicit dominus, dans leges meas in corde eorum et in mentibus eorum scribam eas. promisit hoc iamdudum et proxime reddidit temporibus christianis. ergo iam secundo loco est charta, secundo loco membranae. si a deo lex ibi scripta est, unde tradi non possit, ut parentes uestri, qui iam in trinitate crediderant, quamuis libros tradiderint, nec corda nec mentes tradiderint suas, in quibus deus legem suam scripsit, sicuti se scripturum esse promiserat: ubi est ergo, frater Parmeniane, quod dixisti penitus exustam a traditoribus legem? ecce nec penitus exusta est nec ex toto sublata, dum et in cordibus credentium manet et librorum milia ubique recitantur; unde apparet te parentes tuos, quamuis per ignorantiam, frustra accusare uoluisse. igitur si parentes uestri ad tempora unitatis occurrerent tot exemplis rationabiliter redditis et ipsi a communione repelli non possent, quanto. uos, quos constat traditores non esse sed filios traditorum, cum patrum et filiorum et personae discernantur et nomina, inter quas personas si non sit communis culpa, non potest una esse sententia? quamquam et si illorum unitas fieret et si ad ecclesiam catholicam sponte uenissent — non sicut uos, quos non sine uoluntate dei adductos esse constat, ut rediretis, unde erraueratis, quamuis adhuc erretis — si ad catholicam, ut dixi, sponte uenissent, quia traditores fuerant, de talibus recipiendis dubitarent forsitan nostri maiores; sed nobis laetandum est, quod tales usque ad nostra tempora minime duraverunt. ergo hodie negotium nouum est, dum uobiscum res, non cum illis agenda est. quamuis ab ipsis ad uos uideatur hereditaria macula esse transmissa, tamen in hoc titulo non potestis rei esse cum patribus uestris secundum iudicium dei, qui locutus est per Ezechielem prophetam dicens: anima patris mea est et anima filii mea est; anima quae peccat, sola punietur. quae res iam et antiquis saeculis, in ipsis natalibus mundi probata est, dum non pertinuit ad Seth filium Adae, patris admissum. sed ne quis dicat alio loco scriptum esse dicente domino: mala patrum usque in quartam progeniem redditurum. illius sunt procul dubio ambae uoces, sed non ad unum populum sonat utraque. prima est per Moysen ad certum genus hominum, u secunda per Ezechielem ad alterum genus hominum. cum sciret deus Iudaeos apud Pontium Pilatum professuros, ut dicerent: sanguis huius super nos et super filios nostros, de praescientia deus uidit pro magnitudine culpae parum fuisse, quod dicturi erant, et ut conpetentibus poenis lueretur offensio, ipsis

Iudaeis comminatus est dicens se mala patrum usque in quartam progeniem redditurum. ergo haec uox ad solos Iudaeos specialiter pertinet, ceterum illa ad christianos, qua dignatus est promittere non uindicare in filios, si quid peccetur a patribus, nec in patribus si quid a filiis forsitan delinquatur. cum et temporibus Moysi sine cuiusquam poena lex iterata sit At arca testamenti ab hostibus ultro sit reddita et ab Hieremia deo praecipiente charta sit altera scripta: quare putatur apud maiores uestros solos capitale fuisse peccatum, in quo per tot exempla nemo damnatus est? nam si lex ideo data est, ut homines docerentur, non ut ipsa lex quasi pro deo coleretur, post factum patrum uestrorum nullum damnum passa est turba credentium; unusquisque eorum sub metu codices suos perdidit. nam lex, quae necessaria fuerat, ualet apud doctores populorum et cultores dei. bibliothecae refertae sunt libris; nihil deest ecclesiae; per loca singula diuinum sonat ubique praeconium; non silent ora lectorum; manus omnium codicibus plenae sunt; nihil deest populis doceri cupientibus, quamuis lex non magis pro doctrina quam pro futuro iudicio scripta esse uideatur, ut sciat peccator, quid pati possit, si minus iuste uixerit. denique scriptum est et legitur: quod iustis lex data non sit, quia unusquisque iustus ipse sibi lex est; et alio loco idem beatus apostolus Paulus dicit, quia lex non facit iustos, sed ipsa amat iustitiam. semper in omnibus rebus efficientibus effecta quaeruntur: uacat lex, quae efficit, si per conpendium paratum est, quod efficitur. denique Abrahae non dictum est: crede, sed ultro credidit, in quo sine lege legis effectus inpletus est. non legitur: audiuit Abraham legem et credidit, sed legitur: credidit Abraham deo et reputatum est illi ad iustitiam. et primis temporibus Noe patriarcha nihil egit, unde iustus fieret, et iustus electus est, qui fabricata area feliciter in diluuio nauigaret. longum est ire per singulos, qui sine lege inuenti sunt iusti. haec si a uestris parentibus suo tempore dicerentur, quis eos a communione sua repelleret? quid? si dicerent non debere silentio praeteriri, quod apostolus de extralegalibus ait: gentes, quae legem nesciunt, ea quae legis sunt, faciunt; habent enim legem scriptam in cordibus suis. nam et multi probantur in lege peccasse et multi bene sine lege uixisse. lex et homo duae res sunt, sed pares esse non possunt: non enim homo factus est propter legem, sed lex data est propter homines. nusquam uideo damnum inlatum deo, dum et origo legis apud eum manet. et postquam scriptura uestris parentibus tradita esse dicitur, nihil deest, omnia membra legis sana sunt, salua sunt, recitantur: nihil minus est de lege et docere et doceri cupientibus. an illud erat magis necessarium, ut occideretur homo, ne scriptura aliqua traderetur? quid? quod nec homines occisi sunt et omnes scripturae non desunt. non est unum lex et deus. si pro deo moriendum fuerat, qui et resuscitare mortuos et reddere praemium potest, liber non traditus de duobus his nec alterum potest. inpedit igitur necessitas uires suas. non minus uidemus neglegentiam frequenter operari, quam necessitas operata est. nam si membranae aut libri, quibus scriptura legitima continetur, in totum debent inlaesa seruari, quasi non damnantur aliqui neglegentes, non est longe tradere a male ponere aut male ferre. alter in domo librum posuit, quae domus incendio concremata est: damnetur, qui neglegenter posuit, si damnandus est, qui postulandum librum territus dedit. damnentur etiam illi, qui neglectas membranas aut libros ita posuerunt, ut eos domesticae bestiolae, hoc est mures ita corroserint, ut legi non possint. damnetur et ille, qui ita in domo posuit, ut nimietate pluuiarum sic tecta aliqua stillicidia deliquarent, ut omnia

humore oblitterata legi non. possint. damnentur et illi, qui ferentes libros legis temerarii se rapacibus undis fluminum crediderunt et se liberari cupientes scripturas in undis e suis manibus dimiserunt. ergo si scriptura una est, et hanc qui seruare non potuit, reus est; alter undis tradidit, alter rosoribus bestiis dereliquit, alius stillicidio corrumpenda neglexit, alter metu mortis territus homo homini dedit; si unum est, quod ab omnibus admittitur, quare eligitur, qui damnetur, cum leuior culpa sit traditoris quam neglegentis? qui ante mures posuit aut sub stillicidio reliquit, uoluntate neglegens fuit, et qui in fluuio. perdidit, de temeritate peccauit; qui metu mortis aliquid tradidit, homo homini dedit; integrum erat apud dantem, integrum apud accipientem. si, qui accipit, flammis tradidit, peccatum magis accendentis est, non tradentis. haec si a maioribus uestris dicerentur, quando illos repellere a nostra communione possemus ? si etiam Antiochi regis tempora commemorare uoluissent, quibus omnes Iudaei coacti sunt, ut libros in incendium darent, et ita uniuersa scriptura data est, ut apex unus in aliquo libro minime remansisset? de Iudaeis illo tempore nemo damnatus est nec a deo uel ab aliquo angelo in quemquam Iudaeum est ulla dicta sententia, quia peccatum fuerat imperantis et minantis, non populi cum tremore et dolore tradentis. qui Antiochus ne aliquid primitiuo populo nocuisse uideretur, statim prouidit deus, ut per unum hominem Esdram, qui lector eodem tempore dicebatur, tota lex, sicut antea fuerat, ad apicem dictaretur. sic tyrannus Antiochus fructum malignitatis suae habere non potuit, dum praeter septem fratres et unum seniorem carnem suillam manducare detrectantes nullum Iudaeum occidit et lex perire non potuit. sic et parentes uestri tempore suo nec ipsi occisi sunt et libri legis -dominicae toti ubique recitantur. si parentes uestri, ut supra dixi, haec dicerent, quis illos in suam communionem non intrepide accepisset, ubi, ut dictum est, peccauerat necessitas, non uoluntas? temporibus unitatis principes uestri, qui probantur ista fecisse, iam e uiuis excesserant uobis quasi hereditariam maculam relinquentes, quam prius deus a uobis prouidentia sua sic diluit, dum inter patres et filios, sicut supra diximus, separauit. igitur quia tradere peccatum est, uideant parentes uestri, quid in iudicio dei respondeant; uestrum tamen, qui ab aliis temporibus estis, peccatum esse non potest.

Inde est, quod uos iamdudum in communionem nostram uoluimus recipere, quia uos illo tempore non peccastis, sed principes uestri. nam peccator talis, quales fuerunt uestri maiores, si ad ecclesiam ueniat et necessitatis suae rationem ostendat, primo recipiendus est, deinde sustinendus pio sinu matris ecclesiae. nec quasi ex toto sanctus debet quis de altero iudicare, quia scriptum est in euangelio Christo dicente: nolite iudicare, ne iudicetur de uobis, maxime cum nemo ex toto sanctus poterit inueniri. nam si sunt, qui possint non habere peccata, mentiuntur in oratione dominica, si sine causa indulgentiam postulant dicentes deo patri: dimitte nobis peccata, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, cum Iohannes apostolus et omnium conscientias prodat et suam resignet his uerbis: si dixerimus, inquit, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos decipimus et ueritas in nobis non est. cuius dicti rationem in quarto libro manifestius explanauimus. sed fac et aliquos esse tota sanctitate perfectos: non licet, ut sint sine fratribus, qui ne repellantur, euangelica praecepta reclamant, quibus describitur ager, qui est totus orbis, in quo est ecclesia et seminator Christus, qui praecepta dat salutaria. e contrario homo est malus, id est diabo-

lus, qui non in luce, sed per tenebras seminat inportuna peccata; et in uno agro nascuntur diuersa semina, sicut in ecclesia non est similis turba animarum. ager suscipit semina bona uel mala, est diuersitas seminum; sed creator unus omnium est animarum, unus dominus agri; ubi nata sunt zizania, duo sunt auctores seminum, sed ager unum dominum habet, ipsum deum dominum. illius est terra, illius sunt bona semina, illius est et pluuia. ideo uos adductos recipere in unitate consensimus, quia nobis non licet uel separare uel repellere, quamuis peccatores in uno agro nobiscum natos una pluuia, hoc est uno baptismate nutritos, quomodo non licuit apostolis de tritico zizania separare, quia separatio sine exterminio fieri non potest, ne dum euellitur, quod opus non est, conculcetur, quod opus est. pariter iussit Christus in agro suo per totum orbem terrarum, in quo est una ecclesia, et sua semina crescere et aliena. post crementa communia uenturus est iudicii dies, qui messis est animarum, sedebit iudex filius dei, qui agnoscit, quid est suum et quid alienum. illius erit eligere, quid condat in horreo et quid tradat incendio, quos ad interminata tormenta destinet et quibus promissa praemia repraesentet. agnoscamus nos omnes. homines esse: nemo sibi usurpet diuini iudicii potestatem. nam si sibi totum uindicet quiuis episcopus, dicatur, quid in iudicio acturus est Christus. satis sit homini, si de peccato suo reus non sit, quam ut de alieno iudex esse desideret. professio denique nostra est non solum uos non repellere, sed etiam parentes uestros, si eorum , temporibus contingeret et unitas fieret, bono pacis non repellere. nefas est enim, ut episcopi faciamus, quod apostoli non fecerunt, qui permissi non sunt uel semina separare uel de tritico zizania euellere.

Quodsi de recipiendis uobis catholica dubitaret, nonne uos debuistis unitatis adsequi formam? sed exempla in euangelio lecta proponere noluistis, ut est lectio de persona beatissimi Petri, ex qua forma unitatis retinendae uel faciendae descripta recitatur. equidem malum est contra interdictum aliquid facere; sed peius est unitatem non habere, cum possis. quam unitatem ipsum Christum uidemus praeposuisse uindictae suae, qui magis omnes discipulos suos, uoluit in uno esse, quam, quod offensus fuerat, uindicare; dum nollet se negari, promisit se apud patrem negaturum esse, qui se negaret apud homines — et tamen non se promisit puniturum, scripturam aliquam qui tradidisset: grauius est enim negare eum, qui locutus sit, quam tradidisse uerba, quae locutus sit — et cum haec ita scripta sint, tamen bono unitatis beatus Petrus, cui satis erat, si, post quod negauit, solam ueniam consequeretur, et praeferri apostolis omnibus meruit et claues regni caelorum communicandas ceteris solus accepit. bono unitatis sepelienda esse peccata hinc intellegi datur, quod beatissimus Paulus apostolus dicat caritatem posse obstruere multitudinem peccatorum: onera, inquit, uestra inuicem sustinete, et alio loco ait: caritas magnanimis est, caritas benigna est, caritas non zelatur, caritas non inflatur, non quaerit, quae sua sunt. et bene dixit. haec enim omnia uiderat in apostolis ceteris, qui bono unitatis per caritatem noluerunt a communione Petri recedere, eius scilicet, qui negauerat Christum. quodsi maior esset amor innocentiae quam utilitas pacis et unitatis, dicerent se non debere communicare Petro, qui negauerat magistrum et dei filium dominum. possent non communicare, ut supra dictum est, beatissimo Petro; possent contra illum recitare uerba Christi, qui promiserat negaturum se esse apud patrem eum, qui se coram hominibus negasset. ad quam formam debet diligenter ad-

tendi; de qua dum pauca commemoro, ipsius sancti Petri beatitudo ueniam tribuat, si illud commemorare uideor, quod factum constat et legitur. dubito dicere peccasse tantam sanctitatem, sed ipse hoc factum probat, qui et doluit amare et fleuit ubertim, qui nec doleret nec fleret, si nulla interuenisset offensio. potuit utique caput apostolorum ita se gubernare, ut nihil incurreret, quod doleret; sed ideo in uno titulo eius multa uidentur errata, ut posset ostendi bono unitatis omnia debere deo seruari. et nescio an in altero hoc genus peccati tanti ponderis esse possit, quanto in beato Petro fuisse manifestum est. quisquis enim forte in aliqua persecutione negauit filium dei, in conparatione beati Petri uidebitur leuius deliquisse, si negauit, quem non uidit, si negauit, quem non agnouit, si negauit, cui nihil promisit, si semel negauit. nam in beato Petro hoc genus peccati dilatatum est: primo quod cum interrogaret Christus omnes, quem se homines dicerent, unus dixit Heliam, alter dixit. prophetam; tunc Christus dixisse legitur: uos quem me dicitis esse? et ait illi Petrus: tu es filius dei uiui. pro qua agnitione laudari ab eo meruit, quod instinctu dei patris hoc dixerit. ecce ceteris non agnoscentibus filium dei solus Petrus agnouit. deinde sub die passionis cum diceret Christus: ecce teneor et fugietis omnes, tacentibus ceteris solus se promisit non recessurum. de praescientia filius dei ait: Petre, antequam gallus cantet, ter me negabis. additum est aliud ad pondus peccati, promissum scilicet, quod non erat inpleturus. postea quam in domum Caiphae ductus est Christus, ad mensuram delicti conplendam de tanto numero nullus alius interrogatur praeter beatum Petrum. interrogatus primo negat, interrogatus iterum negat, tertio dixit se Christum omnino non nosse; et cantauit gallus, non ut tempora cantu suo distingueret, sed ut peccasse se beatus Petrus agnosceret. denique doluit amare et fleuit ubertim. ecce ut supra dictum est, ceteris non agnoscentibus solus agnouit, ceteris non promittentibus solus promisit, ceteris nec semel negantibus ter solus negauit et tamen bono unitatis de numero apostolorum separari non meruit. unde intellegitur omnia ordinata esse prouidentia saluatoris, ut ipse acciperet claues, interclusa est malitiae uia, ne apostoli animo licentiam iudicandi conciperent et genera contemnerent eum, qui negauerat Christum. stant tot innocentes et peccator accipit claues, ut unitatis negotium formaretur. prouisum est, ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores et, quae necessaria est unitas, esse non posset. haec si commemoraretis communicare cupientes, quando uos catholica pio sinu suscipere dubitaret ecclesia, cum constet uos non traditores esse, sed filios traditorum?

Nam aliqui ex uobis uolentes nos populis suis contemnendos-. ostendere etiam illud miscent tractatibus suis, quod a Salomone propheta dictum est: muscae morituraе exterminant olei suauitatem, et muscas morituras nos appellant et oleum nominant, illum scilicet liquorem, qui ex nomine Christi conditur, quod chrisma, postquam conditum est, nominatur. antequam fiat, adhuc oleum est natura simplex; fit suaue, dum de nomine Christi conditur. ergo tres res sunt, quas Salomon propheta nominauit: oleum, suauitatem et muscas morituras exterminantes suauitatem. istae tres res loca sua habent in ordine: primo loco est oleum, secundo suauitas de confectione, tertio muscae morientes exterminantes suauitatem. quisquis est talis tractator ex uobis, probet, quomodo nos muscas morituras appellat. si apud uos putatis esse confectionem, quae det oleo suauitatem, apud uos est oleum

et suauitas. numquid nos exterminamus oleum uestrum, ut merito nos muscas morituras appelletis? quod uestrum est, apud uos est. et si a uobis ad nos aliquis transitum u fecerit, sic a nobis seruatur, quomodo a uobis dimittitur. quomodo dicitis, quia nos sumus muscae morituae suauitatem olei corrumpentes, cum post uos nihil tale facimus? aut si a nobis dicitis suauitatem olei corrumpi posse, aut possumus aliquid et damus oleo suauitatem; aut si nos, ut uultis, nihil possumus, remansit oleum tale esse, quale et natum est; quomodo dicitis, quia nos sumus muscae morituae corrumpentes suauitatem olei? igitur oleum antequam a nobis conficiatur, tale est, quale et natum est; confectum suauitatem ex nomine Christi accipere potest. quomodo possumus uno facto et conficere et cori-umpere? restat, ut, si oleum de se suaue sit, uacet, quod agitur ab hominibus, si ab homine in nomine Christi conficitur. non potest idem operarius duas res repugnantes et contrarias simul facere. uobis absentibus si conficimus, non corrumpimus. si corrumpimus, quis ante nos confecerat, quod corrumperemus ? quare ne uacet dictio prophetae, si ita est, intellegite, quia uos estis muscae morituae. uos enim exterminastis, non quod natum est, sed quod confectum est; suauitas enim legitur non natura posse corrumpi. oleum enim simplex est et nomen suum unum et proprium habet; confectum iam chrisma uocatur, in quo est . suauitas, quae cutem conscientiae mollit exclusa duritia peccatorum, quae animum innouat lenem, quae sedem spiritui sancto parat, ut inuitatus illic asperitate fugata libenter inhabitare dignetur. haec est suauitas olei, quam possunt muscae morituae corrumpere. si nos exterminaremus a uobis confectum oleum, merito nos muscas morituras appellare possetis. sed dum, quod a uobis unctum est, tale seruamus, quale suscipimus, muscae morituae esse non possumus. sed dum uos inuidiae tempestatibus inpulsi quasi in oleum caditis, uos exterminatis in rebaptizatione suauitatem olei illius, quod in nomine Christi confectum est, unde condirentur mores, unde accenderetur lumen mentis ad salutarem et ueram intellegentiam. uos exterminatis rem, ubi oleum fuit et suauitas. nos quomodo potuimus corrumpere suauitatem, quae ante nos a nullo confecta est? seduxistis homines, rebaptizastis, iterum unxistis. pro dolor! non sine morte uestra exterminastis, quod fuerat de nomine Christi confectum, more muscarum, quae pereuntes exterminant. quia mors est peccatum, quod non habet indulgentiam. scriptum est, quia qui peccauerit in spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro. ergo cum et falso nos muscas appelletis et omnia, quae a nobis fiunt, dissoluere properetis et nos contemnendos aut despiciendos esse dicatis uobis solis sanctitatem uindicantes, innocentiam proponitis uestram, ut promittatis uos aliena posse donare peccata. uides igitur non de nobis, ut disputatis, sed de uobis dixisse beatissimum Paulum apostolum: erunt, inquit, homines se ipsos amantes, cupidi, gloriantes sibi, superbi, blasphemi, parentibus non oboedientes, ingrati, scelesti, pacem non custodientes, sine adfectu, detractores, inmites, sine benignitate, et cetera.

Nam illud quale est, quod pro arbitrio tuo Moysi uobis inponere uoluisti personam, contra quem Iamnem et Mambrem obstitisse commemorat apostolus Paulus. si ita est, quae apud uos ueritas inueniri potest, cui catholica uidetur obsistere, aut quod apud nos esse mendacium poteris adprobare? in una communione esse cum toto orbe terrarum numquid poteris adprobare mendacium? symbolum uerum et unicum retinere et defendere numquid

poteris adprobare mendacium? cathedram Petri et claues regni caelorum a Christo concessas, ubi est nostra societas, numquid poteris adprobare mendacium? in ipsa lectione quae commemorasti inter ipsas personas, considera ordinem rerum [et] qui fuerit prior, adtende. utique Iamnes et Mambres secundo loco sunt, qui contra Moysen et ueritatem falsis artibus militare uoluerunt. et antecesserat Moyses, cuius uirtutes inpugnare frustra conati sunt. ut Moyses prior est, sic et catholica prior est; ut Iamnes et Mambres repugnantes obstiterunt, sic et uos rebelles contra ueram catholicam militatis. quid est ergo, quod nomina et nobis et uobis mutare uoluistis, nisi ut te sociis tuis conparares aequalem? sunt enim aliqui ex uobis, qui obliti aut ignari praeteritorum temporum in nos dicant, quae pertineant ad eos, qui iamdudum de catholica lapsi Maiorinum ordinauerunt, illi scilicet auctores scismatis et traditionis. cum adhuc retinerent pacem, antequam exterminarent deo placitam unitatem, fuerunt lumen mundi et sal terrae merito appellabantur. dum docerent pacem, adhuc pacifici uocabantur; antequam inflati essent, beati erant de paupertate spiritus, pars erant condimenti; beati erant, dum mites, pars fuerant condimenti; beati erant, dum iusti, pars erant condimenti; beati, dum pacifici, totum fuerant condimentum. posteaquam erroris diuitias dederunt spiritui et pulmonibus suis et facientes scisma, inmites inuenti sunt et minus misericordes, dum inpie membra ecclesiae diuiserunt et iniustitiam secuti regnum dei pro fastidio habuerunt et diuidendo ecclesiam noluerunt esse pacifici, ipsi facti sunt sal infatuatum, ex quo nihil condiretur, quod deo de suauitate placuisset. et cum hoc malum pertineat ad principes uestros, a quibusdam sociis tuis aliter disputatur, ut dicant insipientes fuisse eos, qui agnouerunt uel sero ueritatem et ab scismate recedentes agnita matre catholica secuti sunt pacem. hos putant aliqui uestrum errasse, hos existimant quasi infatuatos a sapientia recessisse. unde apparet uos omnes eodem modo errare in nominibus transferendis, d\'lm et tu Iamnem et Mambrem pacificis catholicis conparasti et uos scismaticos Moysi, quod a ueritate alienum est. et aliqui socii tui insipientes de sapientibus iudicare uoluerunt, ut dicant fatuos factos esse pacificos, et parentes suos de dissensione infatuatos esse intellegere noluerunt.

Iam ad illum locum inuidia uestra dilabitur, ut dicatis Macarium post illa facta communioni non debuisse misceri sed magis a catholicis episcopis abstineri. primo communionis unum est nomen, sed diuersi sunt modi: aliud est communicare episcopum cum episcopo et aliud communicare laicum cum episcopo. tunc erat graue, si Macarius, quod fecisse dicitur, sua uoluntate fecisset; quod qui faciunt factum, iudiciis publicis et Romanis legibus uindicatur. ille est enim homicida, qui nulla necessitate cogente, nulla iussione, nulla potestate, sed furore adactus de uoluntate sua fecerit, quod prohibent leges. ceterum Macarius quod fecisse dicitur, uobis prouocantibus fecit nec episcopus fuit nec in officio episcopali uersatus est nec manum alicui inposuit nec sacrificium obtulit. unde cum eum constet alienum fuisse ab episcoporum actibus, nullus episcopus ab eo, qui cum episcopis non obtulit, uidetur esse pollutus. restat, ut dicatis eum cum populo communicasse — et locutum eum esse aliquid in populo constat, sed insinuandae alicuius rei causa, non tamen tractandi, quod est episcoporum. ille enim nude locutus est, si quid loqui potuit. contra episcopalis tractatus probatur ab omnibus sanctitate uestitus, salutatione scilicet geminata. non enim aliquid

incipit episcopus ad populum dicere, nisi primo in nomine dei populum salutauerit. similes sunt exitus initiis. omnis tractatus in ecclesia a nomine dei incipitur et eiusdem dei nomine terminatur. quis uestrum audet dicere episcoporum more Macarium populum salutare? igitur cum nec salutauerit, antequam aliquid loqueretur, nec salutare ausus sit, postquam locutus est, nec manum inposuerit nec sacrificium deo ritu episcopali obtulerit, quid est, quod dicitis pollui potuisse episcopale collegium, cum ab omni episcoporum officio Macarium uideatis alienum? uestigio ueritatis hoc loco calcata iterum uestra caput leuare uidetur inuidia. dicitis enim nec inter laicos eum communicare debuisse. equidem constat eum, ut Paulus apostolus probat, ministrum fuisse uoluntatis dei. et quid mirum, si et iudices pagani ministri uoluntatis dei aestimari meruerunt apostolo dicente: non sine causa iudex gladium portat? est enim minister uoluntatis dei. nam et Macarius in suo iudex fuisse uidebatur. quodsi non erat iudex in eo, quod fecit, secundum leges Romanas a iudicibus in eum debuit uindicari. aut si dicitis nec sic eum communicare debuisse, nos tamen non uidemus, quia debuit abstineri, qui id tale fecit, quod factum est a Moyse, quem post uiginti tria milia hominum occisa deus non contemnendo abstinuit, sed ut secum loqueretur iterum inuitauit. nos non uidemus abstinendum fuisse eum, qui fecit, quod Phinees, quem paulo ante memoraui, qui ab ipso deo pro homicidio laudari meruit. non uidetur magis nobis abstinendus fuisse is, a quo id factum est, quod ab Helia propheta, qui tot falsos prophetas occidit. nam et illos falsos uates fuisse iam supra probauimus.

Sed ut haec exempla sileantur, dicamus et nos, quod dicitis, reum fuisse Macarium: quodsi fuit, accusatore silente a nobis non licuit abstineri. scriptum est enim ante cognitam causam neminem esse damnandum. dicite, quis eum accusauit et auditus non est. dicite Macarium confessum esse culpam et nostram siluisse sententiam? sumus enim qualescumque iudices in ecclesia, quod et ipsi non negatis, quod nos iudices seueros debere fuisse contenditis. non enim possumus facere, quod non fecit deus, qui in iudicio suo personas separare dignatus est: nec eundem uoluit esse accusatorem et iudicem. non enim potest quis in una causa eodem momento duas portare personas, ut in eodem iudicio et accusator esse possit et iudex. quod deus nec per omnipotentiam fecit: ut nobis iudicandi formam ostenderet, docuit reum sine accusatore non debere damnari aut accusatorem eum esse, qui iudex in ea causa futurus est. denique inter ipsa principia saeculorum dum hominum esset renouellata natiuitas, dum a Cain frater Abel esset occisus, lectum est: et uocauit deus Cain et interrogauit eum, ubi esset frater eius; ille peccatum duplicans, quasi ignorantem faceret deum, nescire se dixit. et quando posset nescire aliquid dominus, sub cuius oculis et uultu sunt omnia, quae geruntur? et tamen deus sine accusatore non iudicat et interrogat utique, quod nouerat. et uos uultis, ut abstineremus, quem non uidimus aliquid mali facientem et qui nullum habuerit accusatorem. uideo hoc loco, quid inuidia submurmuret uestra. dicitis enim non nos latuisse, quod factum est. fatemur nos audisse, sed peccatum erat damnare eum, quem nemo est ausus accusare. sed si dixeritis, quia non nos latuit factum, dicite deo, quare interrogauit, qui uiderat parricidium. nec illud a nobis fieri oportuit, quod deus facere noluit, qui sententiam noluit dicere nisi reo. redde accusatorem; alioquin non posset iusta esse sententia, nisi ipse, qui iudicaturus erat, accusaret. ideo ait:

ecce sanguis fratris tui clamat ad me de terra. quare et uos cum minime probare possitis ab aliquo apud nos accusatum esse Macarium, nostrum non potestis damnare iudicium.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***S. Optati Milevitani libri VII*** edited by Karl Ziwsa (Vienna, Leipzig, Tempsky, Freytag: 1893) Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) 26), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.